ACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto Petro de Pulcro Castro, militi, domino de Villalonga, locum nostrum tenenti in regno Maioricarum, salutem et dilectionem. Pro parte fidelium nostrorum iuratorum Maioricarum sunt nobis oblata quedam capitula, inter que est capitulum sequens: Item que placia al senyor rey, que deia scriure al loctinent, quens lex metre nostres talayes axi con tots temps hauem feyt he acustumat, e quel vaguer de fora ni altre official nos deia entremetre dasso, con a nos se pertany quiu pagam e la messio fem. Et intellectis in capitulo ipso contentis, mandamus vobis, vt ea faciatis seruari, prout hactenus est fieri consuetum. Prouiso tamen, quod super hoc bona diligentia adhibeatis. Datum Perpiniani pridie nonas octobris anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo tertio.

Abelló fol CXIX v.ª


VII

Quinto idus Martii M CCC xxxiiij (N. 1334)

Quod cum cause prime instantie ab ordinario per commissionem regiam abstrahuntur, tunc pars impetrans commissionem habeat soluere integre salarium iudicantis, obtinendo aut succumbendo.

ACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto locumtenenti in nostro regno Maioricarum, sa-

de Comeles, Guillem Rog, Ramon de Seuá, P. de Ciges, Julia Sestayn, ciutadans de Malorques; e molts daltres religioses, clergues, caualers e donzels, ciutadans e pobladors del regne de Malorques.

Jo Bernat de Puyg Daluch, notari publich per auctoritat del senyor nostre rey de Malorques molt alt en totes parts de la sua senyoria sotsmeses, asso escriure feu et clausi meo publico sig  no.

Lib. dels Reys fol CLII de la 2.ª part.

lutem et dilectionem. Missi ad nos nuncii pro parte fidelium nostrorum juratorum et proborum hominum Maioricarum, Guillermus Arnaldi de Insula, domicellus, Philippus Valentini, Paulinus Brondo et Raymundus de Alorda, a nobis suppliciter petierunt, quod, cum in primis instantiis ferri debeant in Maioricis sententie per ordinarios curiarum sine salario aliquo, et quandoque cognitiones causarum per commissiones ab ordinariis substrahuntur, in dampnum non modicum gentium franchisesiarumque Maioricarum lesionem, dignaremur mandare, vt ex nunc non substrahentur dictarum instantiarum cognitiones ab ordinariis curiarum. Nos itaque super supplicatis volentes debite prouidere, vobis dicimus et mandamus, vt, cum a curiis ordinariis ad alicujus petitionem prime instantie substrahentur, per partem ad cuius instantiam hoc fiet solui faciatis ex nunc integre salarium iudicantis, sic quod pars aduersa in succumbendo vel alias nichil ad aliud contribuere teneatur; et nichilominus seruari decernimus ordinationes predecessorum nostrorum super hiis emanatas: hec itaque sincere seruetis firmiter ac faciatis absque violatione aliqua obseruari. Dat. in loco de Turri subtus Elnam quinto idus martii a anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo tertio.

Jurisdiccions e Stils fol CXX.

PERE A. SANXO.

Benyer auct en uam en .o. d pau locynent nra lo qual uos
 dna alcumes paraules d parte nostra e pregam uos q uos
 uelatz donar qe. eves enta. ento q uos dna d parte nostra
 et patz qe. eves q to q el uos dna d parte nostra et nostra
 propya uolentat no cres egestz negun ql conuencz uos d qe.
 ex do q mlt o cres atz uos et enuem d ma ma q ad es d ppe
 ya d m o cres a .xv. dies d jupn totz nostre tagel qe. eves

Jaume p sagrat ad deu Rey d catalca

FACSIMIL D'UNA LLETRA AUTÒGRAFA DE JAUME III

CARTES AUTÓGRAFES DE JAUME III AL ARXIU DE LA CORONA DE ARAGÓ (1)

I

Senyer: a uos enuiam en G. de Pau, loctinent nostre, lo qual vos dira alcunes paraules de part nostra, e pregam uos que uos uualtz donar fe e cresensa en so que uos dira de part nostra; e siatz sertz senyer que so quel uos dira de part nostra es nostra propria uolentat, e no cresegestz negun quil contrari uos diges. E per so que mils o cresatz nos escriuem de nostra ma. Dades a Perpenya dimecres a xv. dies de juyn sots nostre sagel secret

Jacme per la gracia de Deu Rey de Malorca

Al molt alt senyor Rey Darago, pare nostre.

II

Excellenti ac magnifico principi domino Petro, Dei gratia Regi Aragonum, Valencie, Sardinie et Corcice, Comiti Barchinone, illustri consanguineo nostro tamquam fratri, Jacobus Dei gratia Rex Majoricarum, Comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispezzulani, Salutem et ad vota successus prosperos et felices. Cum pro armata quam hoc anno facere intendimus, prospiciente Domino, contra perfidum regem Guarbi fieri faciamus in nostro castro Coquiliberi quasdam gualeas, in operatione quarum et fornimento sunt necessaria fusta, arma, exarcie et quodam alia, quibus magistri dictarum galearum prout nobis relatum extitit indigent de presenti, idcirco excellentiam vestram attente roguamus quatenus ex ordinatione et jussu vestre magnificentie, permittat bajulus Barchinone extrahere supradicta ad constructionem seu perfectionem dictarum gualearum, ordinatione inde edita contraria non obstante. Data Perpiniensi sub nostro sigillo secreto pridie kalendas januarii anno Domini M CCC xxx viij.

Excellentissimo ac magnifico principi domino Petro, Dei gratia Regi Aragonum, Valencie, Sardinie et Corcisse, Comiti Barchinone illustri, consanguineo nostro carissimo tamquam fratri.

(1) V. en les dues lámínes que van en aquest número la reproducció en facsimil de dues d'aquestes cartes, la núm. I y la núm. XI, un poch empetitides per exigencias de la fotografia. Les mides dels originals, de cap a cap del paper, son: de la I 210 x 135 m.m. y de la XI 295 x 190 m.m.

III

Excellentissime princeps et frater karissime. Juxta vestrarum continentiam litterarum, per manum Guillelmi de Benencontre fidelis porterii vestri exhibitoris earundem, percepimus in effectu quod de feudis in ibidem in genere recitatis, nos requirebatis ut vobis homagium faceremus, concludendo finaliter in eisdem quod vos offerebatis paratos facere ad ea ad que nobis tenemini juxta convenientias et pacta narrata in vestris litteris supradictis, queque per alias vestras litteras nobis directas scripsistis, requirentes quatenus in curia quam generaliter indixeratis prima die proxime instantis mensis madii apud Ceruarium haberemus interesse, prout hec in dictis vestris litteris lacius continentur. Quo circa vestre regie Magestati proculdubio innotescat quod ad ea ad que vobis tenemur facere seu debemus nullatenus resistemus, certissime confidentes de vobis quod ex fraterna karitate faceremus pro uobis cum effectu quidquid possemus pro honore vestri juris regii conservando, et taliter et in tantum quod exprimere non valemus veram affectionem quam gerimus erga personam vestram, ex multis rationibus nobis caram, et jus vestrum regium conservandum. Et vobis placeat habere latorem presentis littere excussatum quia ad vos redire tanto tempore moram traxit, nos enim ex certis causis impediti ipsum retinuimus usquequaque ut vobis predictam nostram responsionem faceremus cum nostri consilii deliberatione pleniore. Data Perpiniensi xvj. die mensis Februarii anno Domini M CCC xxx octavo.

Rex Majoricarum

Excellentissimo principi domino Petro Dei gratia Regi Aragonum fratri nostro karissimo.

IV

Serenissime principi et frater carissime: ad serenitatem vestre Regie Magestatis ducimus transmittendos fideles et dilectos Petrum Raimundi de Codaletto militem, majorem domus et dominum de Pontiliano, et Arnaldum Montanerii legum doctorem, nostros consiliarios, pro quibusdam a fraternitate vestra et ex parte nostra, absque juris vestri aliquo prejudicio, oretenus postulandis, rogates uos cum qua valemus affectione et instancia ut dictis nostris nuntiis benigne velitis si placet prestare

audientiam eisque credere firmiter tamquam nobis super hiis que vestre serenitati duxerint exponenda, ac graciosè concedere ea que petimus, ut confidenter, attento nexu sanguinis et amoris inter vos et nos vigentis, speramus. Data Perpiniani xvij. mensis martii anno Domini M CCC xxxvijj,

Jacobus Rex Majoricarum

Excellentissimo principi domino Petro Dei gratia Regi Aragonum, consanguineo nostro carissimo tamquam fratri.

V

Serenissime princeps et frater karissime: Vestre celsitudine latere nolumus, ymo per presentes uos certificamus, quod nos hinc ad festum beati Johannis Baptiste mensis junii uenturum nunc proximo inclusiue, faciemus uobis homagium et recognitionem pro feudis que pro uobis tenemus, iuxta conuenientias et pacta inter progenitores vestros et nostros inita, et prout nostri progenitores et nos progenitoribus uestris hactenus prestitimus. Data Perpiniani xix. die marcii anno Domini M CCC xxx octavo

Frater vestre Rex Majoricarum

Illustrissimo et magnifico principi domino P. Regi Aragonum, fratri nostro carissimo.

VI

Princeps reuerendissime et frater carissime: Attentis multis arduis et altis negotiis in quibus nos conuenit hic personaliter vacare atque laborare, non uidemus omnibus prospectis quod sine nostri non modico incommodo et predictorum negotiorum maximo detrimento, in festo beati Johannis uobiscum ut scripseramus possimus personaliter adesse et ad uos venire pro faciendo que facere tenemur, ut in littera nuper missa lacius continebatur, unde uestram fraternitatem et Regiam magestatem ducimus deprecandam quatinus sicut e firmo tenemus uos uelle nostra incommoda et dampna evitare, prefixum tempus beati Johannis usque ad festum sancte Magdalene uelitis prorogare, scientes quod infra predictum festum uobis faciemus illa ad que per aliam litteram eramus obligati, per presentem ad illa sub nostra bona fide Regia

nos astringentes. Data Perpiani vij. die mensis junii anno Domini M CCC xxx nono.

Rex Majoricarum

Illustrissimo Principi domino Regi Aragonum fratri suo carissimo.

VII

Car frare e reuerent princep. Vengut a mi lo car cosi nostre linfant en P., partir dimartir per anar a uos e determenat, sobre la qual partensa creu quel uos escriu largament. Lo Sant esperit per la sua merse uos aia en sa garda, Scrita de ma ma lo die de Sent Johan.

De part lo Rey de Malorques

Al molt alt e excellent princep lo senyor Rey Darago car frare nostre

VIII

Serenissime princeps et frater karissime: Recordamur pridie uerbotenus comisise nobili et dilecto P.^o Cornelii ut uobis ex parte nostra explicaret nos disposuisse super quibusdam tangentibus Montepesulanum habere uisitam uobiscum personalem; uerum cum ante hujusmodi uisitam de quibusdam premissa concernentibus informari affectemus, ideo non miremini si noster ad uos accessus precelatur ultra tempus quod diximus nobili supradicto. Data in Montepesulano xxj. die mensis februaryi anno Domini M CCC xl

Serenissimo principi Domino P.^o dei gratia Regi. . . . carissimo fratri nostro — Rex Majoricarum

IX

Molt excellent princep e car frare: Com aiam entes quel Rey de Fransa de present uos trame-ta alcun missatge e duptem que no uai a per afers que tochen uos e nos, pregam uos caramunt que al dit missatge no fasatz resposta entro nostre missatge, lo qual specialment per aqueste rao priuadament uos entenem a trame-tre, aia parlat ab uos, menan entre tant per noyes lo dit missatge en aquella manera queus sera semblant, empero que conega lamor que

Rey D. Jaume III.

Jofey me seyor ^{poti seyre} / ^{recepit} lo raió d' meos for mases. / e guarday q' en seors ipla
 uoluntat d' Rey Davago en ues nos ses en mals mada. / e q' d' la ysona d' do
 pedro d' hica q' esto a reatit. / e gadada so q' al cardinal amany atorgat. / aut e haysa
 q' moa fortuna se mudat. / me seyor moa. De cura d' guarda. / nos mere d' ma
 en poder d' Rey Davago. q' d' mament / ferma a seguray d' meos. / e y d' mament d'
 miembros. / e tota p' so. / e en cara d' tota l' onca. / mere to d' tota. / e mere d' ma en
 poder seu. no venuday a meo d' reo. / e venudat a meo d' reo. / e negunq' ut
 ab soluat negunq' d' fealtat q' no sien tenguy. / e seora q' p' tal mana. / e q' cobare
 esta terra. / e seordeya p' malora. / estes coptes p' les d' haysa q' aut d' reo amany
 offer. / e q' nos covamen. / e q' d' p' sent anos iungay. / e q' una copayia note q' q'
 d' agl' q' fermament. / e loyal tota ora a estat. / e q' d' qual ayant aut pode nos hiam
 / e aut plusis a moa sequirat. / tota negada to bo q' denemio ues nos guarday
 al uent. / e d' Rey noy ala m' d' los alces si no d' d' estay. / mana nos po eus
 sequiray p' la fe. / e subiuga ad q' anos. / e a meo fl' soz. / e tenguy q' p' uenuday q'
 ues seors en ma d' meo Rey Davago m' d' meos. / e q' d' reo no pugay uenuday
 aut seors ab nos pararem ab nos legament. / unno to d' d' ens si bened' q' o
 p' se. / e q' d' reos m' d' reos q' ofa. / e q' d' reo q' d' meo p' y q' d' reos. / tota la
 moneda q' p' reos. / e q' en ayal cepto cono om' los amios p' haysos q' seyor
 e mal bones offeres en paray tota les d' haysa d' m' d' reos. / e la moneda d' ambo en
 ara no es uenudat. / e q' d' reo d' ma. / xij d' uniol. / l'ij o' ccc xliij.

es entre vos e nos. Dat a Montpesler a xxij. de febrer lany M CCC xl.

Rey de Mallorches.

Al molt excellent princep lo senyo. son. car frare Rex Majoricarum.

X

Molt alt e excellent princep e senyor e molt car e reuerent frare. Resebuda e vostra letra escrita de vostra ma e la seguretat iurada que tramesa mauetz, per que tant tost fas aparelar mes galeres per anar a vos e esper que nostra uista sera profitosa e bona. Lo Sant Sperit vos aia en sa garda. Escrita de ma ma lo xj. iorn de juliol lany M CCC xxxij

Vostre frare lo Rey de Malorques

Al molt alt e excellent princep lo senyor Rey Darago, son reuerent e molt car frare Rey de Mallorques.

XI

Rey de Malorques

Sofrin, nostre senyor, so que sofre e crexen la traicio de nostres sotzmeses, e sguardan que [s]om sertz que la uoluntat del Rey darago en ues nos ses en mils mudada, e confisan de la persona de don Pedro de Xerica qui asso a tractat, e consideran so que al cardenal auiam atorgat, e auen esperansa que nostra fortuna se mudar[a] e nostre senyor nostra dretura regardara, nos metem dema en poder del Rey Darago complidament e ferma, asseguratz de mort e de perdement de membres e de tota preso e encara de tota onta, e metem los comtatz e terres dessa en poder seu, no renuncian a nostre dret ni remetent crims ni penes de neguns ni absoluen neguns de fealtat quens sien tengutz; e speram que per tal manera sera que cobrarem esta terra e Serdenya per Malorca. Estes coses per les raons que auem dites auem a fer pregan uos carament que de present a nos vingatz, car uostra companyia uolem, axi con daquel qui fermament e leyal tota ora a estat e del qual aytant cant podem nos fiam. E auem prouessit a uostra seguretat; tota uegada es bo que denemics uostres vos gardetz al uenir, con del Rey noy cala ni dels altres si no de desastre. Manam vos pero eus requerim per la fe e subiugacio que a uos e a nostre fil sotz tengutz, que prouesiatz que uostres forses en ma del

Rey Darago ni dels nostres contraris no puguen uenir. Cant seretz ab nos parlarem ab uos largament; venitz tost; Deus si beneset qui o sofre e traydors malaetz qui o fan. Com gran mester y aia portatz tota la moneda que poretz, car en aytal temps conex om los amics, sertificanuos quel senyor de Valbones a feytes enparar totes les rendes de Monpesler e la moneda Dauinyo encara no es uenguda. Escrita de nostra ma xij de juliol lany M CCC xliij

A nostre feel e molt amat lo Vescomte de Euol nostre Conceller

XII

Rey de Mallorques.

Pregam vos e volem e us manam que vista la present vingats per anar ab nos al viiage, e fem vos cert eus prometem que de so que deuiem fer re no ferem per alcuna rao queus direm. De la vostra partida bens plagera quens o hagessetz dit car vos sabets que nous forsa rem de re, pero venits sobre nostra fe, que esperansa auem que daltres vegadas ab la ajuda de Deu e de vos e de altres nostres feels que nostres affers uenran be. Escrita de nostra ma a xij. de aost lany M CCC xliij. (1)

(1) Aquesta carta, si es autèntica, caiguda mes tart en ma y poder den Pere d' Aragó, li doná peu per forjar contra qui l' havia escrita un' altre especie calumniosa, com es de veure per la seguent.

(1) *Inquisitio facta contra inclitum Jacobum de Majoricis de comissis per eum contra dominum Regem existendo in posse suo videlicet in Tuirio.*

Cum ad audientiam excellentissimi principis et domini domini P. Dei gratia Regis Aragonum et cetera, pervenisset quod inclitus Jacobus de Majoricis, postquam se et terram suam possuerat in manu et posse dicti domini Regis, ausu temerario et nephanda prodicione, tractauerit quod ipse cum quibusdam suis complicitis absconse ingrederentur castrum Perpiniáni, ubi tunc idem dominus Rex et incliti infantis P. et Jacobus morabantur, ut eosdem ibidem caperent et si se deffenderent etiam occiderent, ut sic terram ipsam hoc modo prodicionali habere posset, et etiam personas dictorum domini Regis et infantum captas detineret quousque ipsi voluntati sue obedissent. Ideo dictus dominus Rex de premissis scire cupiens ueritatem mandavit inquiri de hiis per Jacobum de Faro jurisperitum Minorise, ut sequitur.

In quadam camera Castri Perpiniani die mercurii intitulata vij. kalendas februarii anno domini M CCC xliiij.

Nobilis Johannes de Sono, vice comes de Evolo, testes juratus et interrogatus super predictis dixit: Verum esse quod ipse testes existens in loco de Villafrancha Confluentis recepit quandam litteram papiream clausam et sigillatam sigillo secreto incliti Jacobi dudum Majoricarum Regis, scriptam manu ipsius incliti Jacobi, in qua littera mandabatur ipsi testes per dictum inclitum Jacobum quod accederet ad eundem pro quibusdam negociis, de quibus in dicta littera mentio habebatur. Ipse autem testes, tunc quibusdam occupati negotiis, illico ad dictum Jacobum non accessit, sed post octo dies vel circa venit ad ipsum inclitum Jacobum, qui tunc erat in loco de Tuirio, et ibidem idem inclitus Jacobus ad partem et in secreto dixit ipsi testes verba sequentia vel similia in effectum: *Jo he pensat e tractat que puch pendre lo rey darago el infant en P. el infant en Jacme e tots aquells qui son ab ell en lo castell de Perpenya; e son mort si nos fa, car per cert nom atendran go que promes man.* Et tunc idem testes respondit hec verba vel similia in effectum: *A senyor, tan mal nos ha pres del fet del pont de Barcelona! E per tot lo mon jo noy consintria, mas consellaria que esperassets lesguart quius han promes, e si nol uos han bo que lauors li tractassets aquell mal que poguessets.* Et tunc dictus inclitus Jacobus de Majoricis dixit huic testes: *Pensats vos hi.* Et cum hic testes remansisset in dicto loco per aliquos dies, idem inclitus Jacobus pluries dixit huic testes *que si pensas, e que ell era mort si nos feya* Et postea cum ista verba durassent inter eos per aliquos dies, dictus inclitus Jacobus dixit huic testes hec verba vel similia: *Que ell volia que la dita facna se faes de tot en tot, e quen parlassen ensemps tots aquells qui esser hi deuien.* Et cum hic testes dubitaret de dicto inclito Jacobo ne vellet hunc testes capere in aliquo dixit ipse testes dicto inclito Jacobo quod nullo modo volebat de hac materia (?) loqui coram aliqua persona nisi coram ipso inclito Jacobo. Et tunc idem inclitus Jacobus dixit quod expediebat habere colloquium de hoc facto cum aliquibus personis. Et demum post modum tantum tractavit dictus inclitus Jacobus quod induxit hunc testes quod ipse inclitus Jacobus et P. R. de Codoletto et ipse testes fuerunt locuti de materia supradicta.

Interrogatus que fuerunt verba que inter eos tractata et habita fuerunt de materia supradicta. Et dixit quod post plura verba tangencia dictum factum, fuit concordatum inter eos quod si ipse inclitus Jacobus poterat habere familiam condecem ad perficiendum predicta quod faceret ea fieri et compleri. Prius tamen tam ipse testes quam dictus P. R., cui secundum videre hujus testes dictum negocium displicebat, dixerunt ipsi inclito Jacobo maliciam quam tractabat et pericula que ex inde poterant facile et sine dubio evenire. Et etiam ipse testes et dictus P. R. loquendo de dicta materia ad partem absente dicto inclito Jacobo, reputabant ipsum negocium valde enorme et quantum in eis erat ad predicta nullatenus consentirent, sed inductionibus dicti incliti Jacobi concedebant sibi quod fieret supradicta si posset habere familia ut superius continetur. Et cum durante tractatu predicto huic testes fuisset citati per dominum Regem Aragonum quod compareret coram eo et sibi faceret et prestaret juramentum fidelitatis et homagium, et ea de causa hic testes comparuisset coram ipso domino Rege et esset in Perpiniario hic testes uudit quadam vice Jaufridum Destandart, de domo et familia dicti incliti Jacobi de Majoricis, qui quidem Jaufridus interrogatus per hunc testes dixit ipsi testes hac verba vel similia in effectum, videlicet, quod venerat apud Perpianum causa videndi super dictum negocium et qualiter fieri et perficere posset. Et cum hic testes fecisset homagium et juramentum fidelitatis dicto domino Regi et de ejus licencia accessisset ad villam de Tuirio, ubi erat dictus inclitus post vistas quas idem inclitus Jacobus habuit cum dicto domino Rege prope locum de Orla? 1, ipse inclitus Jacobus dixit huic testes quod omnino expediebat compleri negocium captionis dicti domini Regis *sino que era mort, que no li atenia res que promes li ha guessen, ne encara a aquest testes, et quod jam erant ultra quinquaginta homines absconsi in villa de Tuirio pro ratione predicta* Et tunc ipse testes dixit eidem inclito Jacobo hec verba vel similia in effectum: *E ara no hic es lo majordom nen Bng. Dolms ab qui vos deits quen hauets parlat.* Et tunc dictus inclitus Jacobus respondit quod ipse locutus fuerat cum R. de Pallarols et cum plurimis aliis qui ad predicta presentes esse debebant, ut ipse inclitus Jacobus asserebat. Et cum ipse testes videret quod predicta volebat dictus inclitus Jacobus ducere ad effectum, idem testes recepto comi-

tato ab ipso inclito Jacobo, hora colgadora recessit a dicto loco de Tuirio. Et antequam ab inde recederet ipse testes fecit quandam litteram quam missit ipsi inclito Jacobo, cui significavit quod ipse testes nullo modo consentire nec presens esse volebat in negotio supradicto. Et tunc dictus inclitus Jacobus respondendo ad litteram supradictam scripsit ipsi testes per unam litteram scriptam manu propria dicti incliti Jacobi de Majoricis, quam ipse testes postea tradidit ipsi domino Regi, cujus tenor talis est.

Rey de Mallorques.

Pregam vos e volem e us manam.

Et supra scriptio dicte littere erat talis. A nostre amat e feel lo vescompte Devol. Interrogato si scit qui debebant esse presentes captioni et aliis supra dictis, et dixit se nichil aliud scire salvo quod audivit dici a dicto inclito Jacobo quod ipse inclitus Jacobus habuerat colloquium de predictis cum Brg. Domls, R^o de Pallarols, Perpiniانو Imberti, Jaufrido de Standart, Robertus (?) des Niues (?) et aliis de quibus non recordatur.

E. AGUILÓ.

SEGON MATRIMONI
DE
JAUME III AB VIOLANT DE VILLARAGUT
DOCUMENTS ESPONSALICIS

I

CARTA DOTAL (1)

In nomine Domini. Amen. Anno ab incarnatione ejusdem millesimo CCC^{mo} quadragesimo septimo, videlicet decima die novembris. Noverint universi quod nos Jacobus, Dei gracia rex Majoricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Nonnulli sunt (2) magni status, et dono sapiencie inter ceteros populis presidentes illuminati, et similiter (3) nostra regia dignitate prediti, et a nostra regali prosapia minime alieni, qui, licet ge-

(1) Aquest document fou publicat per Mr. Lecoy de la Marche en son llibre «Les Relations politiques de la France avec le Royame de Majorque», apendix número LXXXIX; el reproduim perque se completa ab l'altre que segueix (núm. II) fins are inèdit.

(2) *Nonnullum*, ms.

(3) *Similes*, ms.

neris nobilitate nubes attingerent et de excellentiori qui sub cælo reperiri possit sanguine [essent], mulieres regum filias habuerant in conjuges, et tamen postea, tamquam illi qui erant non ipsius facti ignari, de filiabus simplicium nobilium suorum sibi assumebant uxores. Hoc pro meliori discernentes [et eorum] vestigia sequentes; audientes eciam periculosissimos eventus et intollerabilia scandala que pocius quam concordie sive pacis tranquillitas ex matrimoniali conjunctione sublimium personarum sequuta esse dignoscuntur nonnullis regibus, eciam nostris temporibus constitutis, quod eciam notorii facti evidencia monstrat; [considerantes?] nos hoc eciam magistra rerum experientia plus placito probasse, et docti igitur exemplo, et multo magis experimento instructi, et precipue illam nostram animam (1) cupientes ad celestem patriam collocare, cui si detrimentum faceremus, totum mundum lucrari nichil nobis proficeret; ad principales tantum causas et veras quare matrimonium institutum esse dignoscitur, scilicet sobolis suscepcionem et fornicacionis evitacionem, respectum habentes, et divicias et generis celsitudinem necnon ceteras alias secundarias causas propter quas, si quis contrahere reperiat, perverse, juxta doctorum canonum sentenciam, agere determinatur, penitus, ut debemus, repellentes; et [cum] verisimul (2) matrimonii copulatores, et non cupiditatis seu avaricie sectatores, et mulierem, non pecuniam seu divicias ducamus in uxorem, aptam et bene dispositam ad prolis suscepcionem, que tam nobis quam nostris fidelibus subditis atque utilitati rei nostre publice necessaria existit et graciosam, et in qua nobis bene complacuit ad fornicacionis evitacionem, quod quidem nostre anime est salubre et necessarium; prius tamen, ut decuit, ab apostolica sede et ejus presidente humiliter petita dispensacione et obtenta; vos dilectam et fidelissimam atque nobis carissimam nobilem domicellam Violant, filiam nobilium Berengarii de Villari Acuto, dilecti et fidelis nostri consiliarii, et Maure quondam de Majoricis, conjugum, ut sitis nobis omnis vite consorcium, et in divini et humani juris comunicacionem, atque ut valeatis radiis nostre regie dignitatis coruscare, in sociam acci-

(1) *Unicam*, ms.

(2) *Sumus*, ms.

pientes, confitemur vobis et profitemur atque recognoscimus nos contraxisse hac presenti die vobiscum matrimonium per verba de preseti, [et] ad conregiam dignitatem nostram vos vocamus, vestram humilitatem respicientes, necnon etiam patris vestri, dilecti et fidelis nostri predicti, et carissime et dilecte nostre nobilis Ysabella, vicecomitisse de Evolo, sororis vestre, et pocius per vos, maxime tempore nostrarum infirmitatum, impensa servicia, et per fratrem vestrum nobisque consanguineum germanum carissimum et specialem amicum, nunc cognatum, nobilem Beringeronum de Villari Acuto, consiliarium et cambarlencum majorem nostrum, utroque tempore et bellorum et pacis, que fideliter et solliciter exhibita a nostra memorie minima expellentur (1).

Et ego predicta Violant, filia egregii viri domini Berengarii de Villari Acuto, nunc, per Dei et vestri gratiam, regina Majoricarum, comitissa Rossilionis et Ceritanie ac domina Montispessulani, profiteor et confiteor et recognosco vobis predicto domino meo domino Jacobo, Dei gracia, regi Majoricarum, comiti Rossilionis et Ceritanie ac domino Montispessulani, ex hodie vobiscum matrimonium contraxisse per verba de presenti; et de tanto beneficio et de tanto gradu et dignitate, ab illo qui non dedignatur suscitare de terra inopem et de stercore pauperem erigere, et a vobis, qui infirmam paupertatem meam non aborruistis, accepto, (2), michi indigne ancille sue, collatas gracias ipsi Creatori et vobis dicto domino meo refero et facio, tacere pocius quam loqui eligendo, cum sim pulvis et cinis; et sic [de] tante magnificencie et excellencie dono et de tanta re proferre sermonem pertimesco, quia considerando persone vestre altitudinem in infimis constituta expavesco, intuendo tronum dignitatis reginalis in imperfeccione posita contremesco, sed pregustando dulcedinem immense gracie michi facte revivisco, et vires quodam modo resumendo ut ancilla vestra servicio vestre precarissime persone invigilare cupio et obedienter ut famula vestris mandatis parere, studium meum totum ponendo quomodo vestris affectibus possim complacere; humiliter exauditoris auxilium implorando, ut, qui sanc-

(1) *Expellentes*, ms.

(2) *Acceptare*, ms.

tam reginam Hester crudeli regi Assuero fecit esse graciousam, me peccatricem conspectui clemencie et benignitatis vestre reddat graciousam. Et, licet absurdum videatur et ridiculosum ut pauper det diviti, servus domino largiatur, tamen, ut, secundum jura et communem consuetudinem, matrimonium sine dote minime existat, de mea et parentum et amicorum meorum paupertate, et in aliquod adjutorium necessitatum vestrarum et dominorum inclitorum infancium vestrorum filiorum (1), maxime domini infantis Jacobi, primogeniti vestri, propter ejus alimenta et statum et necessitates alias, nec non pro recuperacione terrarum vestrarum, constituo et dono in dotem vobis dicto domino regi Majoricarum, marito et pocius domino meo, quindecim milia florenorum auri boni et fini atque recti ponderis cugni Florencie.

Et nos prefatus Jacobus, Dei gracia, rex Majoricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani, vestri dicte dilecte et nobis carissime nobilis Violant de Villari Acuto non indignas, sed humiles graciaram acciones, quas retulistis, gratas et placitas (2) habentes, confitemur et in veritate vobis recognoscimus nos a vobis predictos quindecim milia florenos auri boni et fini ac recti ponderis et cugni de Florencia pro dote et nomine dotis vestre habuisse et recepissee, renunciantes exepcioni dictorum quindecim milia florenorum auri per nos a vobis non habitorem et non acceptorem et peccunie non numerate; quos quidem quindecim milia florenorum auri in predictis nostris et dictorum filiorum nostrorum necessitatibus expendere intendimus. Et, quia dos meretur habere donacionem propter nubcias, damus et constituimus vobis dicte consorti nostre, in donacione propter nubcias, quindecim milia florenorum auri boni et fini ac recti ponderis et cugni de Florencia, quos simul cum dictis quindecim milibus florenorum auri dotis vestre predictae, qui ita sunt completi triginta milia florenorum auri, vobis dicte consorti nostre laudamus, firmamus et assignamus habere per vin-

(1) Les mots *infancium* et *filiorum* doivent s'entendre ici des enfants des deux sexes, Jacques II n'ayant alors d'autre postérité que sa fille Isabelle et son fils Jacques, appelé plus loin son fils premier-né, bien qu'il fût le cadet de sa sœur et d'un frère défunt. (V. le tableau généalogique et tête de ce volume.)

(2) *Placidas*, ms.

culum super omnibus bonis et juribus nostris presentibus et futuris, et specialiter super loco et castro nostro de Frontiniani et terminis ejusdem, ac super redditibus, juribus et aliis emolumentis quos et que in dictis loco et terminis recipimus et recipere consuevimus et debemus; necnon et super redditibus seu emolumentis ponderis et leude majoris quos seu que nos habemus et recipimus et habere et recipere debemus in villa Montispezzulani et terminis ejusdem... Et si vos dicta carissima consors nostra nobis supravixeritis, volumus quod super predictis redditibus, juribus et emolumentis nostris... habeatis et recipitatis mille quingentos florenos auri boni et fini ac recti ponderis annis singulis, tantum et tamdiu, et non ultra, donec vobis per heredem nostrum satisfactum fuerit in predictis dote vestra et donatione propter nubcias.

Acta et laudata fuerunt predicta die et anno predictis, in villa Montispezzulani, videlicet in retrocamera palatii prefati domini regis Majoricarum, domino Philippo, rege Francie, regnante, in presencia et testimonio nobilis Berengueroni de Villari Acuto, militis et cambarlenci majoris atque consilarii prefati domini regis Majoricarum, venerabilium et discretorum fratris Guillelmi Marchi, lectoris in sacra theologia, confessoris ipsius domini regis, et Arnaldi de Castelleto, decretorum professoris, et mei Antiqui Seguini, notarii, qui requisitus hanc cartam recepi atque scripsi.

Nos vero rex Majoricarum predictus predicta fore vera confitemur, et sicut per nos fuit ordinatum et dictarum profiteamur esse scriptum per notarium predictum, et ad majorem firmitatem propria hic subscribimus manu; et, quia de presenti alia nostra sigilla non habebamus, in presenti carta seu pergameno, ubi duo instrumenta continentur, nostrum commune sigillum appendere jussimus.

(Arch. nat., J 598, n° 18.)

II

PACTES ADICIONALS A LA CARTA D' ESPOLIT

In nomine Domini amen. Anno ab incarnatione ejusdem millesimo CCC° xl° septimo (1) videlicet xiiij. die martii. Noverint universi quod nos Jacobus Dei gratia rex Majoricarum, comes

(1) En el mss.: xl° primo.

Rossilionis et Ceritanie et dominus Montispezzulani, scientes et attendentes matrimonium fore contractum per verba de presenti inter nos ex una parte et vos fidelem et dilectissimam atque nobis carissimam illustrem Violant de Villariacuto consortem nostram ex parte altera, et quod tempore predicti nostri matrimonii inter vos et nos de constitutione dotis per vos nobis date et constitute, nec non et sponsalicii per nos vobis (1) in donationem propter nuptias constituti, fuerunt facta publica instrumenta, recepta per fidelem nostrum Antichum Seguini notarium subscriptum, sub anno predicto et die decima novembris, in quibus quidem instrumentis fuerint obmissa pacta et conventiones infrascripta que inter nos et vos inita fuerunt tempore predicto dicti nostri contracti matrimonii. Et cum velimus et nostre intencioni existat quod dicta pacta et conventiones pro rei memoria in futurum habenda constent et extent atque appareant per publica instrumenta inde facienda, sicut et prout fuit inter nos et vos tempore contracti dicti nostri matrimonii initum, habitum, concordatum et in pactum deductum. Id circo nos prefatus Rex confitemur et in veritate recognoscimus vobis dicte illustri Violant de Villariacuto consorti nostre carissime, quod nos tempore dicti nostri contracti matrimonii dedimus et constituimus, et de presenti cum hoc publico instrumento ipsos eosdem in donationem propter nuptias et pro sponsalicio et nomine sponsalicii vobis donamus et constituimus, videlicet quindecim milia florenorum auri boni et fini et recti ponderis cunni (2) Florencie, sub tali quidem pacto quod quamdiu nos et vos dicta carissima consors nostra simul vixerimus predictam dotem et donationem propter nuptias habeamus et teneamus in tota vita nostra; et si forte vos dicta consors nostra nobis supervixeritis predictos quindecim millia florenorum auri dicte donationis propter nuptias habeatis et teneatis de tota vita vestra, fructibus in sortem non computandis ymmo ipsos fructus ex dono matrimonii vestros esse volumus. Post mortem vero vestram ipsa donatio propter nuptias deveniat et revertatur heredi nostri dicti regis aut cui premandaverimus verbo vel scrip-

(1) En el mss. per vos nobis.

(2) En el mss. fa duptar si diu cunni o comuni.

tis aut alias de eadem donatione propter nuptias ordinandum duxerimus. Pari modo ego predicta Violant de Villariacuto, per Dei et vestri dicti domini regis gratiam regina Majoricarum predicta, omnia et singula laudans, per me et meos confiteor et recognosco vobis dicto illustrissimo domino Jacobo, Dei gratia regi Majoricarum comiti Rossilionis et Ceritanie et domino Montispesullani, marito et domino meo precarissimo, quod tempore contracti predicti nostri matrimonii ego dedi et attuli vobis in dotem quindecim milia florenorum auri boni fini ac recti ponderis, prout in predictis instrumentis nuptialibus inde per notarium subscriptum factis plenius continetur, sub tali quidem pacto in ipsis instrumentis nuptialibus omisso, quod pactum ego per presens instrumentum perpetuo valiturum ratifico et confirmo ac verum esse confiteor, et de presenti iterum si necesse fuerit vobis facio et concedo, et per hoc presens instrumentum ad eternam rei memoriam apparere volo, videlicet quod quamdiu ego et vos dictus dominus rex maritus et dominus meus simul vixerimus predictam dotem meam habeamus et teneamus in tota vita nostra. Et si forte vos dictus dominus rex michi supervixeritis predictam dotem meam habeatis et teneatis in tota vita vestra; post mortem vero vestram predicta dos mea remaneat infantibus nostris comunibus ex vobis et me procreatis et natis; si autem liberi ex dicto nostro matrimonio non superfuerint, et vos tempore mortis mee non recuperaveritis vel de facto possideritis regnum vestrum Majoricarum, vel terras vestras comitatum Rossilionis et Ceritanie, quas rex Aragonum indebite occupatas tenet, decem milia florenorum predictae dotis mee sint vestri proprii ex dono matrimonii ad omnes vestras vestrorumque voluntates perpetuo faciendas, et residui quinque milia florenorum ipsius dotis post obitum vestrum deveniant et revertantur proximioribus meis vel cui ego premandavero verbo vel scriptis aut alias de eisdem ordinavero, nisi vos illos vestri gratia et voluntate dictis proximioribus meis aut aliis quibus ego ipsos quinque millia florenorum dari ordinavero de vita vestra solveritis. Et si, quod absit, ego vobis dicto domino regi supervixerim, liberis ex dicto nostro matrimonio non existentibus, et vos vel vestri tempore mortis mee predictum regnum vestrum vel comitatus predictos non

recuperaveritis vel de facto possideritis, predicti decem milia florenorum auri dicte dotis mee sint ex pacto nostri nuptiale heredis vestri post mortem meam aut illius cui vos ipsos esse ordinaritis ad omnes ejus voluntates perpetuo faciendas. Si autem tempore mortis mee vos dictus dominus Rex vel vestri predictum regnum vel comitatus recuperaveritis et de facto possideritis, predicti quindecim milia florenorum auri dicte dotis mee, casu quo vos michi supervixeritis, post obitum vestrum proximioribus meis predictis, aut cui ego premandavero verbo vel scriptis vel alias ordinavero, exsolvantur, nisi vos de vita vestra illos solveritis. Et casu quo ego vobis supervixerim, predictis regno vel comitatibus per vos vel vestros recuperatis et de facto possidentibus, heres vester totam predictam dotem meam michi solvere et restituere teneatur ad omnes meas voluntates perpetuo faciendas. Et predicta omnia et singula nos prefati rex et regina laudamus et vera esse asserimus, non desistendo nec derogando contentis in instrumentis nuptialibus inter nos ut premittitur factis, ymmo omnia et singula in eisdem contenta confirmamus et eisdem persistimus et persistere volumus. Acta et laudata fuerunt predicta in palacio Montispesulani, videlicet in retrocamera prefati domini Regis, in presentia et testimonio nobilis Berengarii de Villariacuto militis, Cambarlenci majoris et consilarii, et venerabilis atque discreti fratris Guillelmi Marchi ordinis de Carmelo, confessoris prefati domini regis Majoricarum. Et mei Antiqui Seguini notarii, qui requisitus hanc cartam recepi die et anno predictis, domino Philippo Rege Francie regnante, et mea manu propria scripsi. Nos autem rex Majoricarum prefatus propria manu duximus subscribendum ut predicta majori gaudeant roboris firmitate.—R. M. (1)

Ego predictus Antichus Siguini, auctoritate domini regis Majoricarum notarius publicus ubique terrarum dominationi sue subjectarum, hanc cartam scripsi, clausi et meo solito signo signavi.

Arx. Nacional de Paris.—J. 598-18.

E. AGUILÓ.

(1) No estich cert que sien aquestes les inicials que hi ha en el mss.

TESTAMENT DE JAUME III

ORDONAT A 7 D' AGOST DE 1349, EN PODER DE BERENGUER
GILBERT, NOTARI DE PERPINYÀ (1)

In Dei nomine amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, indictione tertia decima, et die quarta decima mensis januarii, pontificatus sanctissimi in Xpo. patris et domini mei domini Gregorii divina providencia pape undecimi anno quinto, et domino Karolo Dei gratia rege francorum regnante. Noverint universi, presentes parier et futuri, quod apud civitatem Carcassone, in nostra notariorum et testium infrascriptorum presentia, coram magnifico viro domino Arnaudo de Hispania, milite, domino de Monte Hispano, senescallo Carcassone et Biteris, constituta serenissima domina domina Elizabeth de Majoricis, quondam regis Majoricarum filia, et heres ut dixit clare memorie domini Jacobi, quondam regis Majoricarum, ultimo defuncti, germani sui, exhibuit, ostendit (sic) et monstravit quandam auctenticam cartam, seu quoddam originale et publicum instrumentum seu testamentum, in duas pelles pergameni scriptum et redactum, receptum et signatum per manum notarii publici in eodem testamento et infra subscripti; non viciatum, non suspectum, non

(1) El Mss. P. P. 33 del Arxiu Nacional de Paris, qu' es un indice antic del de la casa ducal de Anjou, fa menció (fol. 54) d' un altre testament de Jaume III, anterior a'n aquest y avuy perdut, otorgat a 14 de juliol de 1342, y en copia la cláusula següent de institució de hereu:

In omnibus vero aliis bonis et juribus meis quibuscumque, scilicet in regno Majoricarum cum insulis Minorice et Evice et aliis insulis eisdem adjacentibus, et in comitatibus Rossilionis et Ceritanie, de Varidani, de Vallis de Rippis et de Pratis, et in Confluente, et in Capsirio, et vicecomitatu Castri novi, baronia Corsavini, et in Perpiniano, Vallespirio, et in Quoquolibero, et in villa Montispesulani, et in tota dominatione et districtu dicte ville et omnibus juris et pertinentiis suis, nec non in castro sive villa de Frontiniano, post mortem incliti infantis Ferrandi de Majoricis fratris nostri carissimi, cui illam de vita sua dedimus, prout in donatione quam sibi fecimus de vice comitatu Omeladesii et quibusvis aliis plenius continetur, et in feudo etiam ipsius vicecomitatus Omeladesii et juribus et aliis que nobis competunt et retinimus nobis in baronia Montispesulani sive vicecomitatu predicto, etiam in feudo et in jure et dominio que habemus et habere debemus in vicecomitatu Carladesii, et in omnibus omnino aliis bonis nostris et juribus mobilibus et immobilibus, corporalibus et incorporalibus, quecumque sint et ubicumque, instituius et facimus heredem nostrum uni-

cancellatum, omnique prorsus vicio et suspicione carens, ut in eo apparebat; sigillatum sigillo noto magno et auctentico clare memorie domini Jacobi quondam regis Majoricarum, in cera alba, et duabus cordulis seu tersolis de cerico rubei et crocei coloris impendenti, cujus sculptum erat ymago quadam magna coronata, tenens cum manibus ante pectus unum scutum ad signa et arma Majoricarum, scilicet barris partitum in longo, fascis insignitum, cujus tenor inferius est insertus; rogans et requirens ipsa domina Elisabeth nos senescallum notariumque et testes infrascriptos, ut dictum originale testamentum et publicum instrumentum in formam publicam, per modum vidimus et transumpti publicaremus; asserens sibi necessarium fore ad partes multas dictum transumptum transmittere, cum alias ipsum originale exhibere nequiret tum propter viarum discrimina tum quia posset negligi collabi et deperdi; et quod ipse dominus senescallus ut persona auctentica et ut preses et senescallus Provincie et dicte senescalie, ipsi transumpto seu transcripto suum interponeret auctoritatem et decretum, ad hoc ut eidem transumpto veluti originali testamento tanta fides valeat adhiberi. Et ideo nos supradicti et infrascripti senescallus et notarius et testes, dictum originale instrumentum seu tes-

versalem inclitum infantem Jacobum, filium nostrum primogenitum legitimum et naturalem et regine Constantie consortis nostre. Et si contigerit predictum Jacobum sine filio masculino decedere, filius masculus quem peperit regina consors nostra, ante vel post mortem nostram, si unicus sit vel plures fuerint nati, simul vel successive, ille qui primo nobis genitus fuerit vel erit filius primogenitus si supersedit, vel illo deficiente, illius secundo genitus ex eorumdem, et consequenter alius secundum ordinem primogeniture, si plures haberet filios masculos, sit nobis heres universalis in regno et omnibus bonis nostris et juribus supra specificatis. Et sic omnes filios nostros legitimos masculos, et descendentibus ab eis per lineam masculinam masculos, unum videlicet alteri et suis substituimus, gradatim secundum ordinem primogeniture. In casu vero quod post mortem nostram prefatus infans Jacobus filius primogenitus et heres universalis noster, et omnibus alii masculi et legitimi filii nostri nascituri et eorum filii legitimi masculi, et descendentes ab eis in linea masculina, decessissent infra pupillarem etatem, vel post quandocumque sine liberis legitimis masculis, volumus regnum Majoricarum et universalis hereditas nostra penitus devolvatur ad Ferrandum de Majoricis, fratrem nostrum, si tunc vixerit, vel ejus filium legitimum masculum, seu nepotem ex filio, aut alium legitimum masculum ab eo in recta linea masculina descendente.....

tamentum, cum sigillo pendenti, oculate vidimus, inspeximus diligenter et de verbo ad verbum perlegimus, faciendo diligentem collationem cum presenti transumpto seu transcripto de dicto originali testamento seu publico instrumento; cujus quidem instrumenti publici seu testamenti tenor de verbo ad verbum per omnia sequitur in hec verba:

In nomine Domini amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo quadragesimo nono, indictione secunda, die videlicet septima mensis augusti, pontificatus sanctissimo in Xpo. patris et domini mei domini Clementis divina providencia pape vj. anno octavo. Qui minime in perditione gloriatur peccatorum, sed magis vult ut convertantur in hac vita plena miseriis et dolore, et vivant in eterna frueñtes jocunditate lucis eterne, conditor noster, ad hoc latere nos voluit finem nostrum diemque mortis nostre esse incognitum, ut dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur, et tanto quisque sit ferventior in operatione quanto et incertus est de vocatione, ut dum incerti simus quando moriamur semper ad mortem parati vivere debeamus, nam quot dies vite peragimus, quasi in itinere constituti, ad mortem tot passibus appropinquavimus. In hoc igitur parare nos debemus per quod debita proximis solvantur; si autem ipsorum satisfactionem fuerimus preocupati, animabus nostris subvenitur si in penis purgatorii fuerimus detenti, et posteris providetur ne super bonis nostris sint incerti, scilicet testamentum condendo, quod testatio mentis esse describitur, de eo quod quis fieri vult post mortem suam; que quid mentis declaratio vix explicare potest dum sumus in infirmitate constituti et morti proximi, cujus timor mentem necessario concutit cum hebetatur sensus, visus caligatur, auditus autem turbatur. Providere ergo debemus ut dum sumus sani et spatium habemus et mens liquide valet describere justam sententiam de fiendis post decessum nostrum, ordinemus ultimam nostram voluntatem per conditionem testamenti ordinando. Nos igitur Jacobus, Dei gratia rex Majoricarum, comitatum Rossilionis et Ceritanie princeps et dominus, in meorum mentis et corporis sanitate constituti, de hiis que ad salutem anime nostre expectant, et aliis que de regno et terris nostris et aliis bonis nostris postquam naturali sorte fuerimus assumpti fieri disponimus ordinantes, nostrum in presenti nuncupativum condimus testamentum. Et in primis suppliciter illum

exoro qui suo sanguine genus humanum redimere dignatus est, ut meis peccatis oblivioni traditis, per sui misericordiam animam meam summi numinis visione frui faciat et gaudere. Corpus vero nostrum comendamus servandum coram altare capelle beate Marie de Valle Viridi, quam capellam nostri predecessores et nos, eorum ordinatione adimplentes, duximus construendam, et ibidem corpus nostrum esse volumus si antequam moriamur regnum nostrum non recuperaverimus; nam ipso regno per nos vel successores nostros recuperato, in ecclesia Sedis beate Marie civitatis Majoricarum, prope coram altare majori, nostrum corpus volumus sepelire, et etiam ubicumque moriamur. Si autem ante regni nostri recuperationem nos vel successore nostro, comitatum Rossilionis et villam nostram Perpiniã ad manum nostram vel ipsorum successorum fuerit, tunc in ecclesia beati Johannis Perpiniã, coram altare beate Marie collocetur, quousque mutare valeat in Sede Majoricarum predicta, cum regnum Majoricarum ut dictum est fuerit per nostros successores et heredes recuperatum. Et volumus quod quamdiu et si juxta per nos ordinata corpus nostrum in capella beate Marie de Valle Viridi fuerit, pro anima nostra, parentum ac predecessorum nostrorum, duo in ibi instituantur et celebrent sacerdotes, qui horis diurnis et nocturnis interesse nichilominus teneantur, quorum quilibet annis singulis a nostris heredibus et successoribus viginti quinque florenos auri bonos de Florencia, quousque ipsi heredes et successores nostri in redditibus firmis amortizatis emerint in dicto loco de Valle Viridi vel inde prope tantam sumam quanta ut supra promissum est, habere volumus quemlibet sacerdotem; quorum locorum sacerdotalium collatio, institutio et ejus totaliter patronatus, ipsis nostris successoribus et heredibus specialiter et expresse retinemus. Et si juxta per nos supra ordinata corpus nostrum sepeliatur vel sit in ecclesia Sedis beate Marie civitatis Majoricarum, regno nostro recuperato et non comitatibus, tunc quatuor in ibi instituantur perpetui sacerdotes, quorum quilibet pro substentatione talem pensionem habeat a nostris successoribus et heredibus qualis est superius expressata, et habeant similiter, ut supra premititur, celebrare et horis interesse, et ipsis nostris heredibus pleni jure competat ipsorum locorum sacerdotalium collatio ac institutio et jure etiam patronatus. Et si comitatibus recuperatis et non regno juxta

premissa, et si forsitan corpus nostrum sepeliatur in ecclesia beati Johannis de Perpiniano, tunc quatuor ibidem instituantur sacerdotes perpetui, qui habeant talem pensionem et facere teneantur in omnibus et per omnia ut illi qui sunt in Sede Majoricarum, si ibi sepeliamur, instituendi, quorum locorum sacerdotalium ipsis et nostris heredibus collatio ac institutio competat et jure etiam patronatus. Et in casu quo regnum nostrum et comitatus nostri predicti tempore mortis nostre in nostri existant potestate, vel post deveniant et revertantur qualitercumque ad nostros successores et heredes, sex presbiteros instituimus et institui volumus et disponimus in Sede antedicta, qui in omnibus et per omnia habeant et se habere debeant prout supra est in casu alio expressatum. Disponimus etiam, mores laudabiles oblivione non tradantur, (?) quod anno quolibet die nostri obitus fiat pro nobis et anima nostra, in redemptionem nostrorum pecaminum, unum anniversarium in capella, loco vel ecclesia in quo vel qua nostrum corpus die anniversarii fiendi erit, nam si juxta premissa corpus nostrum sit in capella beate Marie Vallis Viridi, ibi anniversarium fiat; et legamus et dari disponimus pro ipso anniversario comunitatibus et exentibus inter omnes quinque florenos, dividendos inter eos ut alia anniversaria ibidem dividuntur. Et si juxta predicta corpus nostrum sit die anniversarii celebrandi in ecclesia beate Marie Sedis Majoricarum, vel in ecclesia beati Johannis de Perpiniano, tunc in eo casu legamus et dari disponimus presbiteris et aliis pro ut supra decem florenos, ut supra de aliis premititur dividendos.

Ceterum, cum per informationem quandam, factam per illos quos ad eam fiendam actenus recordamur deputasse, clare constet quod de bonis domini nostri genitoris, reverendi domini infantis Ferrandi de Majoricis dive recordationis, in certis jocalibus ac arnesiis et quampluribus aliis bonis et rebus, tot et tanta habuit illustrissimus princeps et dominus Sancius, dive recordatione rex Majoricarum, patruus noster reverendus et carissimus, et ad ipsum pervenire quod ea ascendebant ad summam quinque millium librarum Barchinone vel circa; nosque saltem quo ad immobilia et ad augmentum per ipsum facta veraciter succedamus simusque ejus heredes, et ad nos de bonis suis, tam immobilibus quam mobilibus, multo plus quam dicta quinque milia librarum perveniant; ideo volu-

mus et ordinamus, prout astringimur et tenemur, quod de bonis nostris, dictis quinque mille libris dentur et distribuantur quibusdam incolis et habitatoribus Marche Anthonitane, qui, vel eorum predecessores, tempore quo nos in juvenili etate eramus constituti, et ignorabamus eo tunc quod dicta bona dicti genitoris nostri ad dictum nostrum patrum pervenissent, petebant coram nobis emendam eis fieri de aliquibus eis ablatis ut dicebant per ipsum dominum genitorem nostrum, quibus fuit tunc repulsa data ad ea que petebant, pretendendo et dicendo quod de bonis domini genitoris nostri nichil ad nos devenerat. Sed postea cum fuimus certificati quod tanta bona, prout supra premititur, ad nos pervenerint de illis que fuerant dicti domini genitoris nostri quod valebant quinque milia librarum Barchinone, et certificati per Andream Guiterii quondam, militem, nostrumque consiliarium et auditorem, quod dictis incolis Marche Anthonitane per ipsum dominum genitorem nostrum fuerunt ablata tanta bona que capiebant summam predictam, et de hoc se asserebat recordare, cui Andree, cum esset consiliarium et multum familiarem ipsi domino genitori nostro, erat in hiis fides danda, fuit tunc de mandato nostro dictis incolis scriptum ut ad nos venirent occasione premissarum. Attamen non venerunt, nec ex tunc aliquem pro eisdem. Igitur volumus quod predictis, aut aliis quibus ipse dominus genitor noster esset primo obligatus, premissa somma pecunie quinque milium librarum per nostros infrascriptos manumissores persolvatur.—Preterea disponimus volumus et mandamus quod omnia et singula per nos, vel alium nobis jubentibus aut volentibus, accepta et habita per illicitam aut indebitam exactionem vel retentionem, et omnia dampna per nos data, et interesse occasione dampnorum passorum si appareant, in quibus omni juris sollempnitate ommissa procedi volumus, et credi personis fidedignis per nos se asserentibus indebite dampnificatis, restituantur illis personis a quibus ea apparuerit, per testes aut alias ydonee aut asseverationem ipsarummet personarum, dum tamen fides eis in hiis que petent debeat adhibere, accepta recepta ac habita esse; que omnia restituantur et emendentur non expectatis aliquibus terminis sed illico cum constiterit emendanda illa fore. Et nichilominus volumus disponimus et ordinamus quod omnia debita nostra contenta in codicillo nostro, quem post

confectionem hujusmodi nostri ultimi testamenti facere disponente Altissimo intendemus, et alia quecumque si que forsan ultra illa tractu temporis vel immediate apparerent, solvantur per modum et formam in dicto codicillo expressatam. Pro quibus omnibus et singulis debite persolvendis nostra bona omnia et singula relinquimus obnoxia et etiam obligata; nec non pro piis legatis contentis in hoc nostro ultimo testamento, dandis tradendis et solvendis locis et personis, modis et formis contentis in eodem. Et volumus heredem nostrum compelli posse et debere per curiam primi sigilli Montispesulani, et curiam camere domini Pape, et officiales curiarum ipsarum et cujuslibet eorum, per venditionem videlicet bonorum nostrorum, et aliter, prout vires ipsarum curiarum postulant et requirunt, ad ea omnia et singula persolvenda. Injungentes expresse nostris executoribus, et eorum quo ad hec conscientie oneramus, ut dilatione semota, nostram hujusmodi voluntatem exequantur. Et si forsan heres noster universalis de bonis nostris ipsis executoribus tradere neglexerit recusaverit vel prothelaverit, et tanta que sufficiant ad dictam restitutionem emendam et solutionem fiendam, nos damus tenore presentium auctoritatem et potestatem ipsis nostris executoribus, et duobus ac pluribus ex ipsis, tot et tanta bonis ipsis nostris recipiendi vendendi distribuendi et impignorandi ac in solutum dandi, quod sufficiant ad implectionem restitutionem emendam et solutionem fiendam superius expressatas. Volentes nichilominus et ordinantes quod dictus heres noster ad predicta omnia implenda per curiam camere domini nostri pape, ac ejus auditores aut vice auditores, nullo expectato termino sed ad solam requisitionem dictorum nostrorum executorum seu duorum aut plurium ex eis, rigide viriliter prout vires dicte curie requirunt, compellatur; quodque curia sigilli primi Montispesulani, juxta vires et stillum ipsius curie, possit et debeat procedere, in bonis nostris nominandis per ipsos executores vel duos aut plures eorum, pro implectione ac observatione premissorum.

Rursus disponimus et pro anima nostra et parentum ac predecessorum nostrorum dari volumus, et ad satisfaciendum illis quibus forsan ratione aliqua seu causa tenemur, seu obligati sumus et de obligatione non constat nec constare aliquo modo potest vel poterit, et quia tales sunt mortui aut quia nesciunt nos illis teneri aut aliter qualicumque modo, et in rele-

vatione nostre anime, quinque milia florenorum, distribuendos sub hac forma, nam volumus et ordinamus de dictis quinque milibus florenorum dari et distribui per nostros executores, infra mensem computatum a die nostri obitus, duo milia florenorum inter pauperes religiosos mendicantes presbiteros, et etiam presbiteros seculares, pro missis in redemptionem nostrorum peccatorum et pro anima nostra celebrandis, sic quod cuilibet celebranti detur de dicta somma secundum quod ipsi executores duxerint ordinandum. Nec non de dictis quinque milibus florenorum mille dentur et distribuuntur per eosdem executores, infra duos menses computandos de die nostri obitus, et ad eorum noticiam, pro redimendis captivis. Et alios mille florenos dari volumus per eosdem executores et ad eorum noticiam, infra dictum tempus, in puellis notabiliter pauperibus maritandis, ita tamen quod uni puelle ultra viginti florenos ad plus non dentur. Alios vero mille florenos restantes, infra dictum tempus, per eosdem executores et ad eorum noticiam, dare et distribui volumus inter pauperes mendicantes, ita quod uni pauperi ad plus quinque solidi concedantur. Et si forsan ante mortem nostram recuperaverimus regnum nostrum Majoricarum et non comitatus, vel heres noster recuperet quodcumque, vel recuperemus comitatus et non regnum, vel heres noster recuperet quodcumque, in quolibet dictorum casuum pro anima nostra recipimus decem milia florenorum, distribuendos in omnibus et per omnia ut premissi quinque milia florenorum, somma tamen in quolibet duplicata. Et si contingat nos ante mortem nostram recuperare regnum ipsum et comitatus, vel heres noster recuperet quodcumque, tunc pro anima nostra quindecim milia florenorum recipimus, quos distribui per nostros executores et ad eorum noticiam volumus et disponimus, prout superius expressatum est de quinque milibus, ita tamen quod somma quelibet triplicetur, prout somma quam pro anima nostra recipimus est in triplo augmentata.—Item volumus et dari disponimus incontinenti post mortem nostram, pro debitis solvendis et injuriis restituendis in quibus inclitus dominus infans dominus mei dominus Ferrandus de Majoricis, genitor noster recolende memorie, erat cuique tempore mortis sue obligatus, et pro anima sua et in redemptione ejus peccatorum, duo milia florenorum, distribuendos per nostros executores et ad eorum

noticiam, pro rata secundum magis et minus in usus ad quos converti mandamus dictos quinque milia florenorum. Et alios duo milia florenorum, etiam incontinenti post mortem nostram, convertendi in omnibus et per omnia ut predicta duo milia, dari volumus et jubemus per eosdem executores ad eorum noticiam, pro anima inclite domine Isabellis matris nostre memorie recolende. Et si ante mortem nostram recuperemus regnum nostrum et non comitatus, vel comitatus recuperemus et non regnum, vel heres noster recuperet quodcumque, tamen in quolibet casuum premissorum, et etiam si regnum et comitatus recuperemus vel heres noster recuperet quodcumque, disponimus volumus et mandamus dari pro anima dicti genitoris nostri quatuor milia florenorum, et pro anima domine matris nostre quatuor milia florenorum, distribuendos per eosdem executores et eorum noticiam, in caritatis operibus superius expressatis, sic tamen quod prout duplicatur somma quam pro eis recipimus legata et distributiones duplicentur.—Et volumus et ordinamus de bonis nostris recipi pro sepulturis fiendis nostri, ita modicum quod omnis superfluitas evitetur et ad pompam nichil fiat, sed dumtaxat quod sufficiat ad ea que juxta morem, ratione dignitatis et ordinis regalis assumpti, fieri et incumbunt, et quod non ad vanitatem sed potius ad certam significationem, in prelati et regibus consecratis et benedictis atque coronatis, per ecclesiam fore credimus esse inventum.—Item legamus et dari disponimus pro anima illustris Constantie, regine Majoricarum, consortis nostre dive recordationis, et in redemptione ejus peccaminum, quingentos florenos, de quibus solvantur debita, sua si aliqua appareant vel apparere possint, et si non apparuerint distribuantur inter pauperes, de consilio ordinarii sive episcopi in cujus diocesis juxta premissa diem extremum contigerit nos finire, nisi antea super hec Summi Pontificis voluntatem habeamus.—Item cum certos redditus sub certa forma dederimus actenus cum publico instrumento nobili Berengario de Villarioacuto, nostro caro consanguineo quondam et majori camerlencho, et ejus fuerit ex tunc quod aliqua de illis vendiderimus, jubemus et disponimus redditus ipsos per heredem nostrum restitui in redditibus tantis et talibus vel equalibus venditis per nos, aut in pecunia que summam capiat ipsorum reddituum venditorum.—Rursus cum

sancte recordationis, per bullas suas ad nos certam ordinationem fecerit super decimis terrarum nostrarum comitatum Rosilionis et Ceritanie et terrarum illis adjacentium, jubemus ipsam ordinationem per heredem nostrum infrascriptum adimpleri, recuperatis terris ipsis.—Ad predicta autem omnia et singula exequenda et complenda, et ad ea que in nostris codicillis, uno vel pluribus, continebuntur, volumus et disponimus esse commissarios nostros et hujus nostri ultimi testamenti executores: dominum Guillelmum, Dei gratia titulo Sancti Stephani in Celio Monte presbiterum cardinalem, et venerabilem Petrum episcopum Tarmensem, (sic) consiliarium nostrum, et religiosum fratrem Raymundum de Divoforti ordinis predicatorum, ac reverendum in Xpo. patrem dominum Talayrandum Dei gratia episcopum Sabinensem, sacrosancte romane ecclesie cardinalem, carum consanguineum nostrum, et Johannem de Ponte, legum doctorem, consiliarium nostrum, dantes eis, tribus et duobus eorum, plenam licenciam et omnimodam ac liberam potestatem ut, sine contradictione heredis nostri universalis* infrascripti et alterius cujuscumque persone, possint sua auctoritate de quibuscumque bonis nostris accipere, vendere, alienare, impignorare et obligare, pro premissis omnibus et singulis adimplendis et exequendis. Et si contigeret aliquem vel aliquos de dictis commissariis seu executoribus premori nobis, aut mori ante executionem omnium premissorum vel alias, superstites duo videlicet eorum, nichilominus predicta omnia et singula exequantur; vel si superstites voluerint, alium executorem eligant loco illius vita functi; liceat quoque ipsis executoribus, tribus et duobus eorum, agere et facere procuratorem et actorem qui contra heredem nostrum universalem infrascriptum, in judicio et extra, agere et experiri possit, pro executione fienda omnium et singulorum premissorum, et ad expensas et dampna ab ipso herede exhigendum; et a quibuscumque personis per dictos executores, tres vel duos eorum, aut per eorum procuratorem vel actorem, premissa occasione, aliqua de bonis nostris fuerint assignata vel obligata, nos bona illa, nunc pro tunc ex certa sciencia, obligamus juri ypothece et pignorationis; et ex nunc nos mandamus et volumus fieri et effectualiter impleri quod pro executione premissorum fienda nostri executores predicti, tres vel duo ex eis, fieri ordinabunt. Et volumus nos-

trum heredem universalem compelli posse et debere ad observationem omnium et singulorum premissorum, per curiam Camere domini Pape et ejus auditorum, et per curiam Primi Sigilli Montispesulani, et per vires et districtiones dictarum curiarum et cuilibet earum, bona nostra omnia et singula propter hoc obligantes, et in eis jurisdictionem dictarum curiarum prorogantes, pro implectione et executione dumtaxat premissorum; jubentes nichilominus et mandantes quod executores, non expensis propriis sed heredis nostri, premissa omnia exquantur. Quarum cuilibet ut vaccent ad executionem premissarum faciendam, legamus de bonis nostris centum florenos, eisdem infra medium annum computandum die nostri obitus persolvendos.

Ceterum relinquimus et legamus inclite Isabelli, filie nostre carissime et illustris Constantie, regine Majoricarum consortis nostre carissime dive recordationis, jure institutionis et nomine hereditatis sue et legitima, et eam heredem nobis instituimus in viginti milibus florenorum auri de Florentia, quos eam de bonis nostris habere volumus, per competentes solutiones cum nupserit, et insuper in quingentis florenis; jubentes eandem de bonis nostris cum predictis esse contentam, et inhibemus eidem, sub pena amissionis omnium que consequi debet ex hujusmodi testamento, ne petat legitime complementum, sicut nec de jure nec de assuetudine, regnorum seu talium dignitatum vel principatum petere posset. Et si forsitan ante mortem recuperemus regnum nostrum et non comitatus, vel comitatus recuperemus et non regnum, vel heres noster vel aliquis ex substitutis recuperet, in quolibet dictorum casuum ipsam Isabellam filiam nostram habere volumus ex causa predicta, et ipsam nobis heredem instituimus in triginta millibus florenorum, et insuper in mille florenis, eis dandis solvendis tempore antedicto; jubentes ipsam ex hiis esse contentam, ac eidem inhibitionem facientes superius expressatam. Et in casu quo ante mortem nostram regnum et comitatus recuperemus, vel heres noster vel aliquis ex substitutis ei recuperet quandocumque, ipsam Isabellam filiam nostram habere volumus ex causa predicta, et ipsam heredem nobis instituimus in quadraginta milibus florenorum auri de Florentia, et insuper in mille florénis auri ei dandis et solvendis prout supra, ut de aliis expresatum, quibus jubemus ipsam esse contentam, et inhibe-

mus eidem ne petat supplementum legitime, prout superius etiam eidem inhibetur. Rursus legamus Sclarmunde, nostri et illustris Violandis regine Majoricarum nostre consortis carissime filie, jure institutionis et nomine hereditatis sue et legitima, et ipsam heredem nobis instituimus in decem milibus florenorum auri de Florentia, et insuper in quingentis florenis, jubentes de bonis nostris esse contentam cum somma predicta, et inhibemus, sub pena amittendi omnia que ex testamento hujusmodi consequere debet, ne petat legitime supplementum, sicut nec de jure vel consuetudine regnorum vel principatum aut talium dignitatum petere potest. Et in casu que ante mortem nostram regnum et non comitatus recuperemus, vel comitatus et non regnum, vel heres aut aliquis de substitutis eidem recuperet quandocumque, eo casu nobis heredem instituimus in viginti milibus florenorum, et insuper in mille florenis. Et si regnum et comitatus ante mortem nostram recuperemus, vel heres noster aut aliquis de substitutis eidem recuperet quandocumque, tunc eam de bonis nostris habere volumus, jure institutionis et nomine hereditatis sue de bonis nostris, triginta milia florenorum, et in eis eam nobis heredem instituimus, et insuper in mille florenos; et jubemus eam de bonis nostris esse contentam, et inhibemus eidem ne petat vel petere possit legitime supplementum, sicut nec de jure vel consuetudine regnorum aut talium dignitatum vel principatum petere posset. Jubentes et ordinantes quod omnia et singula que juxta per nos supra ordinatum, dicta Sclarmunda filia nostra habere debet de bonis nostris, solvatur cum solvetur Isabelli filie nostre id quod debet assequi vigore hujusmodi testamenti; et si forsitan dicte Isabelli filie nostre nichil solveretur, vel quavis causa nichil asquiretur de bonis nostris vigore hujusmodi testamenti, nichilominus ipsam Sclarmundam habere volumus quod ei pertinet ex testamento hujusmodi infra tres annos post die nostri obitus immediate numerandos; quod nichilominus tradi et solvi volumus ejus tutrici vel tutoribus, sic quod illa vel illi ea fideliter et sine diminutione custodiant, et ad licitum lucrum ponant. Rursus confitemur et recognoscimus nos habuisse ab illustre Violanda regina Majoricarum, nostra consorte carissima, dotem contentam in instrumentis matrimonialibus factis per fidelem nostrum notarium, nostra auctoritate datum, Antiquum Seguini, inter nos et eandem; quam do-

tem, que sommam capit quindecim milium florenorum, eidem relinquimus; et insuper de bonis nostris eidem legamus jure legati duo milia florenorum, si moriamur non recuperato regno et comitatibus; et si recuperato regno et non comitatibus, vel comitatibus et non regno moriamur, in quolibet dictorum casuum ipsi regine legamus jure legati octo milia florenorum; et si moriamur regno et comitatibus recuperatis, tunc ei legamus duodecim milia florenorum. Et insuper habere volumus absque impedimento omnes vestes suas, et lectos suos sic munitos ut erunt tempore mortis nostre, et omnia jocalia et perlas, margaritas, coronas, redundellos, lapides pretiosos, sintas et omnia sua mobilia penes ea existentia tempore mortis nostre, nec non capellas ad servitium ejus capelle deputatas, et paramenta earum, et omisa vasa auri et argenti sua et penes ea existentia tempore mortis nostre. Insuper disponimus et volumus ipsam reginam habere et tenere sponsaliciam sive donationem propter nuptias, eidem per nos factam tempore contracti matrimonii inter nos et eam, juxta tamen modum et in formam in instrumentis inde factis comprehensus; et volumus et disponimus quod ipsa regina condecenter, ad cognitionem nostrorum executorum, necessaria omnia, victus et vestitus ac domorum, habeat a nostro herede, in domo heredis nostri, cum familiaribus utriusque sexus necessariis, juxta statum suum regalem, ad eandem. Et si forsam ipsa eligat per se ipsam stare et esse, et non in domo heredis nostri, tunc similiter eidem, quamdiu vidualem et honestam vitam duxerit, sive sana sit sive infirma, ad cognitionem ipsorum executorum, quorum conscientias inde oneramus, dari volumus, anno quolibet per debitas solutiones, per nostrum heredem et substitutum, eidem, talem et tantam sommam que ei pro se et ejus familiaribus sufficiat ad victum et vestitum et ad alia necessaria habenda abundanter. Et si forsam ipsa regina ad secundas convolaret nuptias, volumus et jubemus ipsam fore contentam dote sola, juxta pacta in instrumentis nuptialibus expressata; et isto casu per ipsam tradi jubemus omnia et singula penes eam existencia, que ad Sclarmundam filiam nostram, juxta expressata superius, debent devenire vigore hujusmodi testamenti. Item volumus et disponimus quod omnes nostri familiares, in nostro servitio tempore mortis nostre existentes, nec non alii qui propter sequelam nostram a terris nostris sunt expulsi, qui bona sua propter

nos dimisserunt et in sequela et servicio nostro perseverarunt, nisi homagium regi Aragonum prestiterint, habeant, quilibet juxta statum suum, victum et vestitum in domo heredis nostri. Quod etiam de familiaribus dicte regine et dicti heredis nostri volumus observari; et recomendamus eos dicto nostro heredi, quem informamus ut sicut talem fidelitatem et constanciam consolidantur, quique in nostra tribulatione nos non deserierunt, ipsis compatiatur et eos cum poterit remuneret, sicut nos intendimus facere si vitam Altissimus nobis prestat.

In omnibus autem aliis bonis nostris, videlicet in regno Majoricarum, cum insulis Minorice et Evisse et aliis insulis eis adjacentibus, et in comitatibus Rossilionis et Ceritanie, et terris Luridani, Vallis de Rippis et de Valle de Pratis, et in Confluentis, et in Capsirio et in vicecomitatu Castri novi et Baronia Corsavini, et in Perpiniano, et in Vallispirio, et in Coquolihero, et in aliis terris nostris illis adjacentibus et vicinis, et in vicecomitatu et dominatione Omeledesii et Frontiniani, ac locis nostris et castris ac terris aliis illis adjacentibus et vicinis, et in debito in quo nobis tenetur dominus rex Francie, noster reverendus consanguineus, occasione venditionis per nos ei facte de villa Montispesullani et loco de Latis et locorum ipsorum bajuliis et districtu, et in omnibus aliis nostris bonis corporalibus et incorporalibus et mobilibus et immobilibus, juribus et actionibus, tam presentibus quam futuris, et in principatu Acaye et illius dominatione et districtu, ac terris, villis, locis, castris, baroniis illis adjacentibus, et in illis partibus nobis quocumque titulo pertinentibus, inclitum infantem Jacobum filium nostrum primogenitum legitimum et naturalem instituimus nominamus et esse volumus nostrum universalem heredem. Verum si contingeret, quod Deus avertat, ipsum nostrum primogenitum infra pupillarem etatem decedere, vel alias sine filio masculo ex legitimo et carnali matrimonio procreato, aut licet talis filius superstes sibi fuerit et decesserit infra pupillarem etatem vel sine filio masculo ex legitimo matrimonio et carnali procreato, in quolibet casuum predictorum, si illustris Violanda regina Majoricarum consors nostra nunc pregnans sit vel, ante nostri obitum pregnatum, si masculus, inde nascatur, unus vel plures masculi, illos eidem heredi nostro substituimus, illum qui nobis primogenitus fuerit, vel filius suus primogenitus si ei superesset, vel illo deficiente alius secundo ge-

nitus ex eodem, et consequenter alium secundum ordinem primogeniture, si plures filios masculos haberemus illeque et illi sint nobis heredes universales, successive unus videlicet post alium, juxta expressa superius, in regno, comitatibus, principatis, terris, villis, castris et locis, et aliis bonis nostris et juribus supra specificatis. Et si omnes filios nostros legitimos masculos, natum et nascituros, et descendentes ab eis legitime per rectam lineam

masculum

vivum videlicet alteri et suis substituimus modo et forma predictis secundum ordinem primogeniture. In casu vero quo post mortem nostram preffatus noster primogenitus, et omnes masculi filii nostri legitimi nascituri, et eorum sibi legitimi masculi et descendentes ad eis legitime et in recta linea masculina, quod absit, decederent infra pupillarem etatem, vel post quandocumque sine liberis masculinis, tunc filias, et filios ab eis legitime descendentes, ordine primogeniture servato, successive, ut in aliis est dictum, instituimus in regno, comitatibus, principatu et aliis omnibus et singulis supra specificatis, nostros heredes universales; eosque et eas unum alteri substituimus ut supra premissum est, ordine primogeniture servato. In casu tamen quo omnes masculini et feminini, a nobis vel a nostris procreatis descendentes, ex legitimo matrimonio procreati et procreate, deficiunt, tunc in omnibus predictis supra specificatis carissimam neptem nostram Alisiam de Majoricis, filiam incliti infantis Ferrandi de Majoricis, recolende memorie fratris nostri, nostram heredem instituimus universalem, et eam, et descendentes ab ea ex carnali et legitimo matrimonio in recta linea, predictis substituimus in regno, comitatibus, principatu, terris ac juribus supra specificatis. Omnibus vero tam masculis quam feminis legitimis predictis, et ab eis legitime descendentes ex recta linea et ex legitimo matrimonio, deficiuntibus, nostra domo Majoricarum, eo casu sacrosanctam romanam et universalem Ecclesiam in regno, comitatibus, principatu, terris, villis, locis et juribus ac bonis supra specificatis, omnibus et singulis, pro salute anime nostre et nostrorum et ad honorem Dei et Marie virginis ejus matris, dimittimus et instituimus heredem; si tamen rex Aragonum aut sui jus quod in regno et comitatibus et terris aliis (*ei spectabat*) amisit quavis causa, prout credimus pluribus et diversis rationibus; **cujus negotii** discussionem et determinationem

sancte romane Ecclesie et ejus Presidenti tunc damus, sicut et ei pertinet inter reges de talibus judicare et cognoscere. Et in casu quo juxta premissam ordinationem, predicta deveniant ad sacrosanctam Ecclesiam romanam, tunc, si solum terre que habemus in regno Francie, decem milia florenorum, et si ille et regnum nostrum Majoricarum et non comitatus vel comitatus et non regnum, tunc quinquaginta milia, et si ille et regnum et alia supra specificata deveniant, tunc centum milia florenorum, ultra predicta per nos legata et ordinata, volumus, pro anima nostra amore Dei Xpi. pauperibus et caritativis operibus, habeat infra annum erogare dominus summus Pontifex qui tunc erit et presidebit sacrosancte romane Ecclesie et apostolice Sancte Sedis.—Tutores autem filii et filiorum nostrorum predictorum esse volumus et ordinamus dominum Talayrandum, Dei gratia episcopum Sabinensem, cardinalem et consanguineum nostrum predictum, nobilem Garinum de Castro novo, dominum de Aprexio, venerabilem Petrum episcopum Tarmensem, nobilem Johannem de Lems dominum de Muapiste (?), Bertrandum de Lems dominum de Florenciato, Gauxerium de Gardia condominium de Montillis, et Raymondum de Raffiaco in decretis professorem, cancellarium nostrum; nec non tutricem dicte Sclarmonde filie nostre dictam reginam Majoricarum consortem nostram ejus matrem, et tutores alios superius nominatos esse volumus et ordinamus. Qui predicti tutores, vel quatuor aut tres aut duo eorum, si evidens necessitas vel utilitas fuerit, cum quatur aut quinque de meo sanguine, possint de bonis meis vendere et permutare sine decreto; ac ordinamus predicti omnes tutores, sive quatuor tres aut duo ipsorum in simul, regant et administrent regnum et comitatus et alias terras nostras nomine tutorio filii et heredis nostri universalis. Volumus tamen quod tutores ipsi omnia peragant et cum concilio et voluntate dicti domini Episcopi Sabinensis et cardinalis consanguinei carissimi nostri; et si non fecerint, que agent nullam habeant firmitatem. Et cum defferendum dignitati existat, attento amore quem ad nos gerit et affectionem ad nostros liberos dominus Episcopus et Cardinalis predictus, volumus quod ipsi solus possit ad libitum de bonis nostris ordinare. Quibus tutoribus et eorum cuilibet inhibemus expresse quod circa custodiam dicti nostri heredis et omnium aliorum nostrorum liberorum caute attendant quod de-

venire valeant hostis nostri regis Aragonum predicti, quod si facerint nolumus eos esse tutores. Et hanc nostram ultimam voluntatem esse volumus, quam valere volumus jure testamenti, que si non valet jure testamenti saltem valeat jure codicillorum seu cujuslibet alterius ultime voluntatis. Et volumus hoc nostrum ultimum testamentum nuncupativum, seu hanc nostram ultimam voluntatem, omnibus aliis nostris testamentis et ultimis voluntatibus hinc retroactis temporibus factis prevalere; et ordinamus quod quicumque heres noster vel legatarius, fideicommissusve, contra hanc nostram ultimam voluntatem fecerit vel veniret, vel ea non servaret, vel extra iudicium violenter vel in iudicio contenciose institerit, sit bonorum suorum espers, et quod illi relinquimus teneatur per fideicommissum restituere illi quem sua violentia vel contentio judiciali fatigaverit, sive fuerint pauperes sive alii fatigati, et quibus legatarius vel fideicommissarius pro pauperibus accionem habeant si fuerint fatigati. Actum est hoc et laudatum per dictum dominum regem testatorem predictum, et testes subscripti rogati et vocati solemniter fuerunt per eundem, die, anno, indictione et pontificatu predictis, presentibus testibus nobili Pagano de Majoricis, venerabilis Squino de Fontaris, Raymundo Ganeyla militibus, fratre Johanne de Sono ordinis minorum episcopo electo Abiensis, discretis Poncio Calcie conciliario et Petro Glorie secretario dicti domini Regis. Et ad majorem firmitatem omnium et singulorum predictorum dictus dominus Rex de certa scientia jussit hic sigillum suum comune apponi impendenti; et licet juxta suas ordinationes bullari hoc testamentum debeat, quia tamen bulle pro nunc carebat, decrevit ordinavit et mandavit ipsum presens testamentum cum dicto comuni sigillo impendenti sigillari, decernens ipsum ex sue potestatis plenitudine tantum robur et efficaciam obtinere ac si cum bulla plumbea fuisset bullatum, dispensans super hec, et ipsas ordinationes in hoc jussu infringens in quantum possent contentis in hoc testamento ratione bulle aut alias contraire. Nos autem Rex prefatus, ut sit magis certum et firmum presens testamentum, hanc subscriptionem propria manu fecimus: I. M.—Ego vero Berengarius Gilaberti de Perpignano, Elnensis diocesis imperiali auctoritate notarius publicus, hec omnia requisitus jussus atque rogatus per dictum dominum Regem recepi et in notula mea possui et manu propria scripsi et meo con-

sueto signo signavi ac clausi, videlicet in Avinione intus domus in qua dictus dominus Rex inhabitabat ibidem, inter duas pelles conglutinatas, sub die, anno, indictione et pontificatu antedictis, una cum testibus supradictis ad hec omnia et singula vocatus requisitus et rogatus.

Quo quidem originali instrumento seu testamento perlecto, et de presenti transumpto cum ipso originali facta diligenti collatione per nos notarios infrascriptos in dicte domine Isabellis, Senescalli et testium presentia, instante et requirente prelibata domina Elisabet, prefatus dominus Senescallus, pro tribunali sedens, suam interposuit auctoritatem pariter et decretum, jure regio et alieno salvo, decernens et volens eidem transcripto et transumpto veluti originali ejusdem tanta fidem ubilibet adhiberi. Et ad uberiores cautelam et majorem omnium firmitatem, et ut de officio dicti domini Senescalli et potestate notariorum constet et pateat, nemineque in dubium resultet, presenti transumpto seu transcripto sigillum ordinarium dicte senescalie Carcassone fuit impensum. Acta sunt hec ubi supra in hospio prelibate domine Isabellis, anno, die, mense, indictione, pontificatu et regnante predictis, presentibus nobili et venerabili viro domino Bernardo Bone domino de Alto Pullo iudice terminum senescalie Carcassone, Petro Boerii decretorum doctore, Guiraudo Rogerii clerico et dicte senescalie majoris, Amelio de Toronio clerico regio, habitatoribus civitatis et burgi Carcassone, testibus in premissis vocatis specialiter et rogatis, et me Bartholomeo de Molino, notario auctoritate regia publico Carcassone, qui, una cum testibus prenominatis litteratis, ac magistro Johanne de Villario, eidem auctoritate regia publico notario, et Bernardo Rogerii auctoritate apostolica publico notario, in premissis omnibus interfui, dictumque originale vidi legi et palpavi, et cum eodem feci collationem fideliter in presentia dicti domini Senescalli et testium predictorum cum prenominatis aliis notariis, et in eodem originali reperi continuari, prout in presenti transumpto, in duobus pellibus simul conglutinatis scripto, quarum secunda linea prime pellis incipit nostri et finit in eadem magnifico, ultima vero linea dicte pellis incipit et per vires et finit in eadem expen; secunda vero pellis incipit in secunda sui linea relinquimus et finit in eadem aut supra continetur; quod transumptum fuit scriptum per magistrum Johannem de Ardena

notarium regium civitatis Carcassone et in forma publica redactum. Et in premissorum testimonium hic me suscripsi et signum meum quo utor in publicis instrumentis per me receptis apposui, die quartadecima mensis januarii anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo quinto ✠

E. AGUILÓ.

Arch. Nation. de Paris.—P. 1354.

ULTIMS RASTRES DE LES CONMOCIONS

POPULARS DE L' ANY 1325

Que's paguen de bens comuns per los Jurats les despeses fetes per los populars ab llurs missatgeries al Sr. Rey.

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patrus atque tutor domini Regis Majoricarum illustri, nobili et dilecto Arnaldo de Cardalyaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dilectionem. Ad humilem supplicationem fidelium regionum atque nostrorum popularium Majoricarum, volumus et vobis mandamus quatenus omnes sumptus factos per eos in legationibus factis per eis et nomine eorum ad dominum Regem et nos, qui nondum soluti existunt, solvi faciatis de comuni per fideles nostros juratos Majoricarum, cum legationes predictae facte fuerint in maximum honorem dicti domini Regis et utilitatem rei publice civitatis et insule Majoricarum, adversus quod nullas malicias vel difugia admitatis, sed id faciatis compleri breviter et de plano ac sine lite et scriptis. Data Perpiniensi quarto idus februarii anno Domini M^o CCC^o xxvj.^o

Sobre lo mateix.

De nos en Guillem de Pau cavaller, en Odi de Caucalis doctor en leys, refformadors trameses en la ciutat el regne de Malorcha per mosenyer en Phelip, oncle e tutor del molt alt senyor Rey de Malorcha, al noble e honrat Narnau de Cardellach, lochtenent de Malorcha, saluts e bon amor. Sapiats quen Alexandri Capdaura en Jacme Matha, per nom de si e dels populars, son venguts davant nos diens quels Jurats de Malorcha los contradisen de pagar alsunces scriptures e missatgeries que per los

negocis passats han fetes; per que nos de part del dit senyor Rey e de mosenyer en Phelip, vos deym eus manam que vos manets als dits Jurats que escriptures covinents e totes despeses ab missatgeries fetes o en alsuncs missatges trameses per los negocis, sien saygs o altres officials, que naguessen a pagar, paguen als dits populars, tota vegada prenen en comte aqueles coses que vos ab eyls ensemps conxerets esser rahonable, en tal manera que vos ni nos no puscam esser represes ni carregats que nos los fassam pagar als damunt dits Jurats mes que no deiam. E asso cometem a la vostra discrecio. E segons que eyls nos disen encara no sera entre tot sinc sentes liures, que nos enteniem que fossen. Data en lo loc de Soyler a xxj. de noembre lany M CCC xxvij.

Fol. 157.

Nombrament de Guillem de Pau y Odon de Cançalis per refformadors del regne.

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris. Notum facimus universis quod licet ad singulas regiones seu loca eidem domino Regi Majoricarum nostro nepoti carissimo subjectas nostre considerationis intuitu difundamus, tum ex debito nostre nature tum etiam ex officio dicte suscepte tutele regie, civitatem tamen et regnum Majoricarum et adjacentes insulas ipsi regno, in quibus humani generis hostis, pacis emulus et zizanie seminator, turbationes, dissentiones et scandala dicitur suscitasse, oculo sereno conspicimus et infra claustrum nostri pectoris predilectione portamus, et ad regnum ipsum et ejus regnicolas fervor nostre bone voluntatis exuberat, circa illius status prosperitatem et rerum publice utilitatem cum affectionis plenitudine cogitantes. Verum quia innumerabilium quasi negotiorum regionum varietate distrahimur, et aliis certis causis urgemur ut ad dictum regnum pro reformatione illius accedere nequeamus, illos in partem nostre sollicitudinis non nunquam asumimus quibus fore percepimus celesti dono provissum ut in arduis negotiis sciant et possint debite consulere et utili consilio providere. Attendentes itaque comprobata fidelitatem, diligentiam, prudentiam et

gravitatem dilectorum G. de Pauo militis, locumtenentis dicti domini Regis ac nostri in comitatibus Rossilionis et Ceritanie, ac Othonis de Caucalis, legum doctoris, consiliariorum regiorum atque nostrorum fidelium, propter obtinendam civitatis regni et insularum predictorum quietam et plenam reformationem, eos ad regnum ipsum et eidem insulas adjacentes ducimus transmittendos ac etiam destinandos, eis in ibi vices nostras et plene legationis officium comitentes, ac potestatem plenariam ipsis dantes reformandi regnum ipsum civitatem et insulas supradictas, in capite et in membris, inquirendi, corrigendi et puniendi quorumcumque crimina et excessus, suspendendi locumtenentes regios atque nostros in regno et insulis memoratis et alios officiales quoslibet a suis officiis administrationibus amovendi et in amotorum vice et locum alios subrogandi, et auctoritate nostra alia quelibet faciendi que ad honorem Dei, statum prosperum et utilitatem rei publice dicti regni dictarum civitatis et insularum, ac plenam reformationem eorum, viderint pertinere ac etiam expedire. Mandamus itaque locumtenentibus, vicariis, bajulis et aliis officialibus regiis atque nostris in civitate regno et insulis supradictis, nec non prelatibus, capitulis, militibus et generosis personis, juratis et eorum conciliariis ac probis hominibus Majoricarum, Minoricarum et Eviçe, ac aliis fidelibus et subditis universis et eorum singulis dicti regni, ut nostris nunciis et reformatoribus memoratis, super predictis et pertinentibus ad ea, ac dependentibus modis quibuslibet ex eisdem et circa ea, cum effectu tamquam nobis pareant et intendant. Data Perpiniensi tertio idus augusti anno Domini M.º CCC.º xx.º septimo.

Fol. 106 v.º

Lletra de creensa aportada per dits reformadors al Governador.

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis, thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardalyaco, locum tenenti Majoricarum, salutem et dilectionem. Cum nos ad civitatem et regnum Majoricarum pro reformatione patrie destinemus dilectos consiliarios regios atque nostros G.º de Pauo militem, lo-

cumtenentem dicti domini Regis Majoricarum et nostri in comitatibus Rossilionis et Ceritanie, ac Othonem de Caucalis, legum doctorem, et comisserimus eis quedam pro parte nostra vobis vive vocis oraculo explicanda, mandamus vobis quatenus reformatoribus ipsis fidem credulam adhibeatis super explicandis per eos pro parte nostra. Data Perpiniensi idus augusti anno Domini M.º CCC.º xxvij.º

LITERE PRESENTATE PER BERNARDUM DE BERGA
ET BERNARDUM DE CANTALUPIS,
NUNCII HOMINUM FORENSIUM

Quod decetero nulla ajuta, cisa vel colecta de novo imponatur, donec de receptis pro tempore preterito earum collectores debita redderint rationem.

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo dn Cardalhaco, locum tenenti Majoricarum, salutem et dilectionem. Venientes ad dominum Regem et nos nuncii per proceres forenses insule Majoricarum missi, inter altera petierunt supplicando ut ajuta, cissa, colecta vel alia nova impositio non imponeretur in insula Majoricarum quousque de talliis, questiis, cisis et aliis impositionibus per receptores et collectores illarum pro tempore preterito debita ratio reddita fuerit ac compositum legale. Nos autem super hiis remedium adhibere volentes ad vitandum scandalum et infamiam plurimorum que ex administratione predictorum faciliter sequi possunt, noveritis per presentes nos concessisse de speciali gracia et ex causa dictis nunciis et proceribus insule Majoricarum supradicte, ut decetero nulla ajuda, cisa, colecta seu alia nova impositio imponatur, constituatur vel levetur ab ipsis hominibus forensibus usque de receptis et administratis debita restituta fuerit ratio ac compositum legale per receptores et administratores illarum, nisi prefatus dominus Rex Majoricarum vel nos aliud duxerimus ordinandum. Quare tenore presentium vobis et ceteris officialibus regiis atque nostris presentibus et futuris damus in mandatis ut concessionem nostram hujusmodi dictis forensibus sub forma predicta servetis firmiter et faciatis ab omnibus observari scincere. Datum Perpiniensi decimo kalendas decembris anno Domini millesimo trecentesimo vicessimo septimo.

Quod forensis non teneatur contribuere in expensis factis per G. Vedelli et J. Mata, nuncii anno preterito ad dominum Regem missi per populares.

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardalhaco, locum tenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Nuncii per forenses proceres insule Majoricarum ad nos missi, coram nobis proposuerunt quod ipsi juxta ordinationem regiam non tenentur solvere nec contribuere in expensis factis per Guillelmum Vedelli juniorem et en Mata, qui anno preterito ad dominum Regem Majoricarum et nos venerunt de mandato popularium tunc nominatorum, ad quas solvendas ipsi forenses prout asserunt compelluntur, et supplicarunt nobis humiliter ut super hoc eis providere faceremus de remedio oportuno. Nos igitur eorum dicta supplicatione benigne admissa, volumus et vobis mandamus quatenus solutis centum decem libris dumtaxat de pecunia comuni, quas per aliam nostram litteram solvi mandavimus dictis Guillelmo Vedelli et Mata ratione ambaxiate per eos facte, non compellatis dictos forenses nec compelli a quocumque permitatis ad solvendum aliquid in dictis expensis per illos factis vel quosvis alios in futurum faciendis nisi juxta ordinationem regiam, quam servetis dictis forensibus ac servari faciatis juxta illius seriem et tenorem, mandato nostro vel cujusvis alterius in aliquo non obstante. Datum Perpinianni decimo kalendas decembris anno Domini millesimo trecentesimo vicessimo septimo.

Quod vicarius forensis nullam pecuniam communem, hominibus forensibus pertinentem, valeat recipere aut distribuere.

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardalhaco, locum tenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Supplicantibus nobis nunciis per probos homines forenses insule Majoricarum ad dominum Regem Majoricarum et nos missis, intelleximus quod vicarius forensis qui nunc est, sui potentia officii, recepit a juratis Majoricarum aliquam pecu-

nie quantitatem eisdem forensibus pertinentem, que provenit et habita fuit ex ajudis, talliis et cisis; de qua pecunia recepta per dictum vicarium solvi debent juxta ordinationem regiam expense comunes forentium hominum pertinentes, et ita usi fuerint aliquo tempore, prout dicunt. Quare ad supplicationem dictorum nunciorum, volumus et vobis mandamus quatenus ulterius non permitatis dictum vicarium distributionem aliquam facere nec pecuniam comunem recipere a dictis juratis vel quibusvis aliis pecuniam comunem tenentibus, sed dicti forenses vel deputati ab eis illam recipiant et distribuunt juxta dictam regiam ordinationem, qua distributione hujusmodi pecunie sic facta habeant et debeant illam notificare postmodum vicario memorato; quem per vos compelli volumus et mandamus ad reddendum comptum et rationem de receptis et administratis per eum, et reliqua dictis forensibus prestandum breviter et de plano et sine strepitu judicii et figura. Datum Perpinianni x.º kalendas decembris anno Domini M.º CCC.º xxº septimo.

Quod omnes cives et incole civitatis et regni Majoricarum universaliter compellantur ad contribuendum in tallia seu cabesagio nuper impossum pro solvendis debitis et aliis oneribus comunibus suportandis.

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardalhaco, locum tenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Ad humilem supplicationem nunciorum per proceres forenses insule Majoricarum ad dominum Regem et nos missorum, volumus et vobis mandamus quatenus compellatis et compelli viriliter faciatis universaliter quoscumque cives et incolas civitatis et insule Majoricarum ad solvendum et contribuendum in tallia seu cabassagio que vel quod levatur et impossum fuit in civitate et insula supradictis pro solvendis debitis ac aliis oneribus comunibus suportandis civitatis et insule predictarum breviter et de plano ac omni lite cessante, militibus et clericis ac aliis personis privilegiatis et que sunt de domo et familia domini Regis Majoricarum dumtaxat exceptis. Datum Perpinianni decimo kalendas decembris anno Domini M CCC vicessimo septimo.

5.—*Quod de pecunia comuni, seu parte forensibus contingente, solvantur expense per B. de Cantalops et P. de Berga nuncios eorum facte.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardalhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dilectionem. Cum proceres forenses insule Majoricarum pro eorum negociis ad nos misserint Bernardum de Cantalops et Petrum de Berga, qui veniendo ad dominum Regem et nos fecerunt, et recedendo inde facturi sunt, prout asserunt, plures sumptus et expensas, tam et in prosecutione negotiorum hujusmodi; volumus et vobis mandamus quatenus de pecunia comuni ipsos forenses seu parte eorum contingente, que esse dicitur in posse juratorum Majoricarum, dictas expensas per dictos nuncios factas in presenti ambaxata faciatis persolvi ac eis pecuniam ministrari visis presentibus indilate, nec non compellatis et compelli viriliter faciatis juratos Majoricarum qui nunc sunt, incontinenti cum absoluti fuerint ab eorum officio, ad reddendum dictis forensibus vel deputatis ab eis compotum et rationem de recepta pecunia comuni et administrata per eos, et reliquam partem, si qua fuerit, eisdem forensibus prestandum breviter et de plano ac malicia cessante. Datum Perpiniani decimo kalendas decembris anno Domini millesimo trecentesimo vicessimo septimo.

6.—*Quod locumtenens, vocatis juratis et forensibus, curialibus et aliis partitoribus qui ratione partitionum iverint extra civitatem, salarium assignet competentem, et super hoc largius informet quid sit providendum.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardalhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dilectionem. Nuncij ad dominum Regem et nos per proceres forenses insule Majoricarum missi, obtulerunt nobis sequens capitulum: Item quod curialibus et aliis partitoribus qui faciunt vel facere debent aliquas partitiones et pro eis faciendis iverint extra civitatem detur certum quid pro eorum commissione et provisione, cum nunc secundum usum observatum plus ascendat missiones commissionis quam si darent salarium. Cujus capituli tenore audito volumus et vobis mandamus quatenus vocatis juratis civitatis Majoricarum et dictis forensibus simul cum eis taxetis et ordinetis super hoc id quod videbitur vobis; quam taxationem et provisionem seu ordinationem quam faciendam duxeritis super predictis, nec non motum et intentum vestrum et dictorum juratorum ac procerum forensium quid per nos fieri expediat super illis, nobis clare et largius per vestram litteram significare non tardetis, ut habita inde certitudine a vobis faciamus et ordinemus super predictis quod nobis et nostro consilio visum fuerit faciendum. Datum Perpiniani decimo kalendas decembris anno que supra.

7.—*Quod finito anno ajute vini currente, nec ipsa ajuta reiteretur nec quevis alia vel questia vel tallia de novo imponatur, nisi de consensu et licentia domini Regis.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris. Notum facimus universis quod nuncij ad nos missi per probos homines forenses insule Majoricarum, petierunt a nobis supplicando quod pro negociis comunibus nulla fieret colecta in insula Majoricarum per modum tallie, questie nec aliter, nisi de consensu regio atque nostro, nec ajuda vini imponeretur ibidem. Nos autem eorum supplicatione benigne admissa sic ducimus ordinandum per presentes, quod finito anno ajude vini que nunc est imposita in insula Majoricarum, ulterius dicta ajuda collecta vel quevis alia exaccio non imponatur vel exigatur nisi cum consensu et voluntate ac licencia domini Regis Majoricarum et nostri. Quare tenore presencium damus in mandatis locumtenentibus, vicariis, bajulis et aliis officialibus regiis atque nostris, presentibus et futuris, quatenus ordinationem nostram hujusmodi firmam habeant et observent et faciant ab omnibus observari scincere. Datum Perpiniani decimo kalendas decembris anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo septimo.

8.—*Quod sententia lata per Regem Sancium et alia privilegia libertates et franquesie forensibus concessa, serventur eisdem prout actenus usi sunt et nisi alia justa viderentur obsistere.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardalhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dilectionem. Nuncij nobis missi per probos homines forenses insule Majoricarum, inter alia capitula que nobis dederunt et petierunt concedi, dederunt nobis quoddam capitulum sub tenore sequenti: quod instrumentum et sententia lata per serenissimum dominum Sancium bone memorie Regem Majoricarum quondam inter dictos forenses et civitatenses in omnibus observetur, nec non et alia privilegia libertates et consuetudines et franquesie eis concessa et concessa consuete et quas habent per illustres dominos Reges Majoricarum et predecessores eorum, ipsis forensibus in omnibus et per omnia inviolabiliter observentur. Et intellectis contentis in dicto capitulo mandamus vobis quatenus sententiam regiam de qua supra fit mencio in eodem, nec non franquesias privilegia consuetudines et libertates actenus concessas eisdem, quibus et prout usi sunt usquequaque, servetis dictis forensibus et faciatis servari scincere, nisi alia videritis justa et rationabilia per que non debeant observari. Data Perpiniani tertio decimo kalendas decembris anno Domini M.° CCC.° xx.° septimo.

9.—*Quod forensibus, ad solvenda debita et alia in quibus judeis obligati extiterint, elongamentum triennalium conceditur.* (1)

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris. Notum sit universis quod pro parte proborum hominum forensium insule Majoricarum sunt nobis et nostro consilio exposite necessitates. supradicte, et fuit a nobis supplicando petitum ut super solvendis debitis que debent judeis elongamentum. concedere dignaremur. Nos itaque dicta supplicatione benigne admissa dilationem triennalem dictis probis hominibus forensibus. et singulis eorundem ducimus concedendam ad solvenda debita et alia in quibus judeis quibuslibet obligati extiterint. vel secundaria etiam ex comandis et aliis causis et rationibus quibuscumque. In qua quidem triennali dilatione. intelligi volumus et includi unum annum qui restat de illa gratia quam ad duos annos. super solvendis debitis judeorum. Et hanc presentis elongamenti gratiam

Majoricarum a nobis vel domino Rege bone memoria concessum fuerit vel indultum, vel alias nomine nostro promissum quod infra certum tempus nondum elapsum nulla elongamenta concederentur contra eosdem, aut aliis privilegiis seu graciis non obstantibus quibuscumque, quoniam super hiis omnibus ex certa scientia dispensamus nomine tutorio supradicto. Datum Perpiniani tertio decimo kalendas decembris anno Domini M^o CCC^o vicessimo septimo.

10.—*Quod dum contigerit forenses velle mittere ad dominum Regem suos nuncios speciales, nullum eis per officiales regios prestetur impedimentum.*

Filippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardalhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Ad humilem supplicationem nunciorum per proceres forenses insule Majoricarum ad dominum Regem et nos missorum, volumus et vobis mandamus ut cum contigerit dictos forenses pro eorum negotiis ad dominum Regem et nos velle mittere suos nuncios, permitatis illos ad eundem dominum Regem. quoniam nolumus vos vel quemvis alium officialem regium atque nostrum dictis.

11.—*Quod forenses pro eorum negociis comunibus pertractandis, duos proceres cujuslibet parrochie, quociens opus fuerit, valeant congregare.*

.
.
pro negociis comunibus et aliis utilitatibus eorundem tractandis et procurandis, quod ut asserunt, cedit in evidens ipsorum prejudicium et gravamen. Quare volumus et vobis mandamus quatenus permitatis libere duos proceres cujuslibet parrochie insule supradicte pro negociis propriis et comunibus, in loco aliquo, de quo inter se convenerint, congregari, et de illis tractare si et prout viderint expedire, congregationis tamen indebitis penitus rejectis. Data Perpiniani decimo kalendas decembris anno Domini M^o CCC^o xx^o septimo.

12.—*Quod super salario instrumentorum que recipiuntur per notarios et alios escriptores servetur ordinacio regia dudum facta et observata.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardalhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Supplicantibus nobis nunciis per proceres forenses insule Majoricarum ad nos missis, intelleximus quod scriptores seu notarii civitatis Majoricarum pro instrumentis et aliis scripturis per eos factis et receptis, recipiunt plus solito, de quo si ita sit admirationis causam habemus. Quare ad supplicationem dictorum nunciorum volumus et vobis mandamus quatenus super solutione instrumentorum et aliarum scripturarum faciatis servari ordinationem Regiam et curiarum civitatis Majoricarum dudum super hoc factam et observatam juxta illius seriem et tenorem. Data Perpiniani decimo kalendas decembris anno Domini M^o CCC^o xx^o septimo.

13.—*Quod locumtenens, vocatis aliis, super impetrato capitulo quod quilibet forensis possit emere quolibet anno C. quarterias frumenti et CC. quarterias ordei causa revendendi, ordinet pro ut sibi videretur utilius.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardalhaco locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Venientes ad nos nuncii nobis missi per probos homines forenses insule Majoricarum, plura petierunt a nobis super quibus sua dederunt capitula, inter que est capitulum sequens: Item quod quilibet forensis possit emere quolibet anno centum quarterias frumenti et ducentas quarterias ordei causa revendendi, secundum ordinationem regiam. Et intellectis contentis in dicto capitulo volumus et vobis mandamus quatenus vocatis juratis Majoricarum et probis hominibus forensibus ac vicario forensi, faciatis et ordinatis super contentis in dicto capitulo

(1) En aquest punt está rompuda en sentit diagonal la fulla del llibre y falta per consequent mes de la mitat del text.

quod magis utilitati rei publice terre Majoricarum videritis expedire, et illud faciatis servari scincere. Data Perpiniani tertio decimo kalendas decembris anno Domini M^o CCC^o xx^o septimo.

Fols. 159 v. y segs.

Revocatione litterarum impetratarum per homines forenses.

Philippus de Majoricis etc. nobili et dilecto Arnaldo de Cardalyaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dilectionem. Redeuntes ad nos de Majoricis dilecti nostri Guillelmus de Pavo, miles, locumtenens, et Otho de Caucalis, legum doctor, nuncii ad civitatem et regnum Majoricarum pro reformatione et bono statu terre per nos misi, et Nicholaus de Santo Justo, thesaurarius major, consilarii regii atque nostri fideles, exposuerunt nobis et nostro consilio prudenter et largeus ac serius omnia que fecerant et ordinaverant ad honorem prefati domini Regis Majoricarum et ad utilitatem et comodum civitatis insule et regni Majoricarum, quod nostris affectibus advenit valde gratum pariter et acceptum. Proposuerunt etiam coram nobis et asseruerunt quasdam litteras a cancellaria regia sub nomine nostro nuper emanatas, subrepticie et tacita veritate et contra utilitatem rei publice [fuisse] obtentas per P. de Berga de Sixneu et Bn. Cantalupis de Sullare, nuncios per probos homines forenses insule supradicte ad dominum Regem Majoricarum et nos mistos, cum zelemus statum pacificum et tranquillum regni prefati et utilitatem reipublice, nobis displicuit et displicuit valde, quia sic emanate fuerunt et obtente pro eo quia contenta in illis manifeste videntur et apparent, juxta relationem dictorum nostrorum nunciorum, contra ordinata per eos et bonum statum civitatis et regni predictorum fore facta et etiam impetrata. Nos autem super hiis remedium adhibere volentes, ex certa scientia et ex causa, revocamus, cassamus et per presentes annullamus litteram elongamenti subrepticie et per importunitatem dictorum nunciorum forensium per nos concessi de debitis que debent judeis, moderamine tamen adhibito subsequenti: quod vos, juxta ordinationem dictorum nunciorum factam in loco de Sullaris super debitis que debent judeis homines ville et vallis Sullaris, dictos homines forenses faciatis uti et gaudere dicto elongamento. Revocamus insuper et annullamus ex causa predicta quascumque litteras dictis forensibus et eorum nunciis per nos concessas et omnia contenta in illis, et quidquid processum et subsequentum est ex eisdem quoquo modo, que omnia per vos reduci volumus et mandamus ad statum primevum quo antea erant visis presentibus indilate, lite et appellatione cessantibus quibuscumque. Excepimus tamen litteras informationum quas ad instantiam dictorum nunciorum super aliquibus a nobis supplicando petitis mandavimus fieri et nobis postmodum remitti; et litteram per quam mandavimus solvi dictis nunciis sumptus per eos factos ad nos veniendo et inde

redeundo; ac aliam litteram a nobis obtentam super solutione preciorum instrumentorum et aliarum scripturarum; et litteram de mittendis ad dominum Regem nunciis pro negociis comunibus hominum forensium; et litteram etiam continentem centum quarterias frumenti et ducentas ordeis; quas et contenta in illis volumus et mandamus dictis forensibus per vos teneri et servari juxta illarum seriem et tenorem. Super vero concessione per nos facta dictis nunciis de tradendo et acomodando blado domini Regis Majoricarum ad seminandum terras suas, dictus thesaurarius scripsit de nostri connivena et voluntate procuratoribus Regiis atque nostris Michaeli Rotlandi et Petro Rubei, et juxta ea faciatis ejus ordinationem teneri et servari. Data Perpiniani quarto nonas junuarii anno Domini M^o CCC^o xxvij^o.

Fol 164

SEQUENTES LITTERE FUERUNT REGISTRATE AD INSTANCIAM JURATORUM, QUAS PORTARUNT NUNCII AD DOMINUM NOSTRUM REGEM DESTINATI

1.—*Quod cum maleficia fieri contigerit in terra Majoricarum curie inquirent suis propriis sumptibus et expensis, prout jam fuit provisum.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dilectionem. In domini Regis et nostri presentia constituti nuncii ad nos missi per juratos et universitatem Majoricarum, supplicando petierunt concedi ut cum aliqua maleficia fieri contigerit in terra Majoricarum quod curie sumptibus propriis debeant disquirere malefactoribus et veritatem malefactorum, ac illos cum reperti fuerint debite punire ex inde, cum curie ipse de hiis se minime intromittant nisi ad conquerentium requisitionem et sumptum, propter quod multa que cessarent fiunt mala ibidem, et perit ibi justitia ex premissis. Ad que dictis nunciis dedimus in responsis quod jam nuper super premissis fuit provisum per dilectos Guillelmum de Pavo militem et Othonem de Caucalis legum doctorem, consiliarios regios atque nostros fideles, reformatores tunc per nos missos ad civitatem et regnum Majoricarum, ut dicti malefactores perquirentur sumptibus curiarum, delatione vel persecutione conquerentium cujusque minime expectata, que quidem reformatum provisio in libro nostre curie scribi debuit et est scripta. Mandamus igitur vobis quatenus provisionem hujusmodi et dictam scripturam ipsius servetis firmiter et faciatis servari in civitate et extra. Data Perpiniani quarto kalendas madii anno Domini M^o CCC^o xxvij^o.

2.—*Quod omnes clerici qui habent bona ex patrimonio solvant in questiis noviter impositis prout fuerit justum.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor

domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Nuncii ad dominum Regem Majoricarum illustrem et nos missi noviter per juratos et probos homines Majoricarum, petierunt a nobis concedi quod omnes clerici qui in terra Majoricarum habent terras et possessiones aut redditus seu alia bona propria, que obvenierint eis ex patrimonio vel aliquo quocumque titulo quam per beneficium ecclesiasticum, cogherentur pro rebus et bonis suis talibus patrimonialibus contribuere in questiis noviter impositis in Majoricis pro solvendis debitis in quibus universitas Majoricarum erat et est obligata. Ad quod duximus respondendum quod fiet prout fuerit justum et equum, omnibus maliciis et diffugiis regectis hinc inde, sumarie actum ac breviter et de plano et sine strepitu iudicii et figura. Data Perpiniani quarto kalendas maii anno Domini M.º CCC.º xxviiij.

3.—*Quod in vallis aut barbacanis civitatis non fiant orti nec domus aut alia edificia.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Ut in vallis aut barbacanis civitatis Majoricarum non fiant orti nec domus aut alia edificia, queque nobis humiliter supplicarunt nuncii ad dominum Regem et nos transmissi per juratos et universitatem Majoricarum, et que ibi facta sint amoveantur ex inde, cum cedant in deformationem et diminutionem menium civitatis et fortitudinis ejus. Volumus igitur et ordinamus per has presentes quod si in valle aut vallis civitatis predictae aliqui sint orti seu arbores in parte quacumque illi omnimode deleantur et amoveantur ab inde; domus vero quedam que facta est in dicto valle prope portale Portus Pini remaneat in suo esse prout nunc quousque dominus Rex sit in Majoricis vel aliter inde duxerit providendum; nec amodo in dictis vallis ortos fieri volumus sive domos. Quare mandamus vobis quatenus hanc nostram ordinationem et litteram presentem servetur et faciatis servari, executionis debitas faciendo in dictis ortis et aliis, si que facta sunt in dictis vallibus aut barbacanis. Datum Perpiniani quarto kalendas maii anno Domini M.º CCC.º xxviiij.

4.—*Quod dum jurati et eorum concilium voluerit ad dominum Regem suos mittere nuncios speciales, locumtenens nullum eis prestat impedimentum aut prestari permittat.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Ad supplicationem humilem dilectorum Alberti de Cortada militis, Petri de Fonti et Guillermi Regalis, nunciorum ad illustrem dominum Regem

Majoricarum et nos noviter transmissorum per juratos et universitatem Majoricarum, volumus et vobis ac ceteris officialibus ejusdem domini Regis et nostri per presentes mandamus, ut cum jurati et concilium universitatis Majoricarum volent pro negociis terre ad eundem dominum Regem vel nos suos mittere nuncios speciales, nullum super hoc dictis juratis et eorum concilio aut dictis mittendis nunciis faciatis vel prestari permissis impedimentum, aut mandatum aliquod faciatis seu fieri permissis quo minus illi nuncii ad presentiam domini Regis seu nostri prout voluerint libere valeant pervenire, nec ponatis nec poni sustineatis dictis juratis et eorum consilio modum aut numerum super nunciis hujusmodi transmittendis, sed hoc eorum voluntati et arbitrio relinquatis. Datum Perpiniani quarto kalendas maii anno Domini M.º CCC.º xxviiij.º

5.—*Quod nullus christianus capiatur pro debito vel comanda judeorum, si ita usum est antiquitus.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Ad supplicationem humilem secretariorum aljame judeorum Majoricarum recordamus nuper vobis mandasse per litteram nostram data Perpiniani tertio idus februarii anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo septimo, ut quicumque christianus seu judeus qui tunc vel in futurum aliquid deberet alieni judeo dicte aljame pro facto mercaterie seu pro carta comande absque usura, nisi solveret termino debito caperetur et captus detineretur in captione curie Majoricarum pro tali debito seu comanda, sicut judei ipsi pro talibus debitis seu comandis modo simili capiuntur, nisi in oppositum aliqua justa ratio esset proposita et probata. Nunc vero nuncii ad dominum Regem Majoricarum et nos missi per juratos et universitatem Majoricarum, proposuerunt supplicando coram nobis usum est in Majoricis diucius usitatum quod pro comandis seu debitis que debentur judeis qualibet ratione nullus ibi capitur christianus, quare supplicarunt nobis ut usum hujusmodi eis ibi mandarem servari. Nos attamen hujus noticiam non habentes, mandamus vobis quatenus si vobis constiterit proposita per dictos nuncios fore vera, dictis juratis et universitati Majoricarum dictum usum, si diucius et antiquitus servatum inveneritis, teneatis et servetis eisdem, dicta nostra priori littera non obstante. Data Perpiniani quinto nonas maii anno Domini M.º CCC.º xxviiij.

6.—*Quod locumtenens cognitionem et decisionem appellationum inter advocatos distribuat, ne aliter indebite retardentur negocia.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et

dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Mandamus vobis ad supplicationem humilem nobis factam per nuncios ad dominum Regem Majoricarum et nos destinatos per juratos et universitatem Majoricarum, quod cum appellationes ad vos emitti et fieri contigerit per quoscumque, illas et cognitionem et decisionem earum sic inter advocatos distribuatis et dividatis quod debite expeditiones inde gentibus subsequantur, nec velitis illas sic assessori vestro retinere quod negocia propter eum retardentur, sed inter eum et alios eque et debite distribuantur, taliter quod inde non reiteretur querela. Data Perpiniani quarto kalendas madii anno Domini M.^o CCC.^o vicesimo octavo.

7.—*Quod habentes privilegia ratione officiorum vel alia de causa non compellantur ad solvendum in questiis.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patronus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Nuncii ad dominum Regem et nos destinati per juratos Majoricarum petierunt supplicando per nos concedi quod omnes illi de terre Majoricarum qui petunt seu asserunt se debere esse immunes a solutione questie impossibile in Majoricis pro universitatis debitis persolvendis, ratione officiorum in quibus sunt seu per privilegia aut aliter, compellerentur ad solvendum in questia ipsa. Quod nolimus exaudire inaudita parte quam tangit, sed volumus et vobis comittimus et mandamus ut super hoc audiat plenius partium rationes, et interim de illis neminem compellatur ad solutionem questie supradicte, nec super predictis finem aliquem imponatis nisi consultis primitus domino Rege et nobis ac voluntate nostra prescita. Data Perpiniani idus madii anno Domini M.^o CCC.^o xx. octavo.

8.—*Quod de hoc quod terminatum fuerit per juratos et concilium eorundem locumtenens non congreget concilium generale.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Supplicarunt nobis cum reverentia nuncii ad dominum Regem Majoricarum et nos missi per juratos et consilium Majoricarum quod nos vobis debere mandare ut congregationem universalem proborum hominum ex nunc minime faceretur pro habendo et tenendo concilio super eo quod per juratos Majoricarum cum eorum concilio jam fuerit terminatum pro ut ad eorum officium pertinuerit jurarie, inducentes ad hoc varias rationes per quas divisiones in populo ac pericula et dampna multimoda universitati Majoricarum afflictura dixerunt. Quibus plenius intellectis manda-

mus vobis quatenus cum jurati et eorum consilium aliqua que ad eorum pertineant officium duxerint terminanda vel etiam ordinanda, in illorum oppositum universale concilium proborum hominum minime congregetis, sed dictum dominum Regem et nos inde primitus consulatis, nisi talia essent in quibus mora esset dampna vel pericula quasi irreparabilia illatura. Super quibus cum diligencia procedatis sine populi scandalo et sine proborum hominum multitudine numerosa. Data Perpiniani quarto kalendas madii anno Domini millesimo trecentesimo vicessimo octavo.

9.—*Pro congedio thuscorum, florentinorum etc.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Ad nostrum noviter pervenit auditum quod conversatio, mora et residentia in Majoricis luchensium, florentinorum, plasentinorum et senencium, est gravis minime et dampnosa dicto domino Regi Majoricarum ac utilitati reipublice civitatis et insule Majoricarum et regnicolis ejus; unde nos super hiis providere volentes ut decet, de speciali gratia quam ad instantiam nuntiorum ad dominum Regem et nos noviter transmissorum per juratos et universitatem Majoricarum facere volumus universitati ejusdem, mandamus vobis quatenus dictos luchenses, florentinos, plasentinos ac senences congedietis vassis presentibus indilate, et eis certum terminum prefigetis, videlicet hinc ad primam diem instantis mensis augusti, infra quem se expediverint cum rebus et mercibus suis a civitate et regno Majoricarum, ibi ulterius non inmoraturi vel negociaturi per se vel per suos factores aut aliter, quousque dominus Rex Majoricarum vel nos aliter duxerimus ordinandum, quoniam gratiam supradictam concedimus ad beneplacitum regium atque nostrum, salvo in omnibus et per omnia jure regio et universitatis Majoricarum ac franchisesiarum ejusdem. Verum si aliqui de predictis ex gratia domini Regis vel nostra, majorem habent terminum ad expediendum se inde illum terminum sic longiorem servetis et faciatis servari eisdem, computando tamen a die qua ceteris dictum terminum prefigetis. Data Perpiniani quarto kalendas uadii anno Domini M.^o CCC.^o xx. octavo. (1)

Fol 200 v. y sigs.

(1) Septimo kalendas junii dictus dominus locumtenens volens adimplere mandatum sui superius (sic) fecit coram se venire P. Gusalferre et Reinotxo Benintendi de societate Bardorum de Florentia, Sando de Feho de Sena et Symonem de Berti de societate Arceolorum de Florentia, et Xeo Reynerii de Florentia, quibus injunxit et expresse mandavit quod hinc ad primam diem mensis augusti proxime instantis expediverint se a tota terra Majoricarum cum omnibus bonis rebus et mercibus eorum, deinde in dicto regno non moraturis nec mercantibus per se vel interpositam personam.

10.—*Quod supersedeatur in inquisitionibus factis et susceptis contra Bn. G. Suriu, Johannem de Pax, Simonem Cornelli et G. Sansa.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Ad supplicationem supplicem fidelium nostrorum nunciorum ad nos missorum qui hic sunt pro parte juratorum et proborum hominum Majoricarum, volumus et vobis mandamus quatenus in inquisitione seu inquisitionibus quas nostro mandato fecistis et facere incepistis contra Bn. Guillelmum Suriu, Johannem de Pax, Symonum Cornelli et Guillelmum Sansa, et alios quoscumque, pro eo quia dicitur quod inquirere inceperunt cum juramentis per parochias cum singulis super solutionibus questie impossible in Majoricis anno transacto, superseatis et supercedere faciatis quousque a nobis aliud receperitis in mandatis, interim nichilominus nobis mittentes dictas inquisitiones inceptas ac totum id quod in predictis fecistis, et veritarem eorum que reperistis super eisdem ac mentem et intentum vestrum quid per nos fieri deceat seu expediat in eisdem. Data Perpiniani nono kalendas maii anno Domini M^o CCC^o vicessimo octavo.

Fol 209 v.

SEQUENTES LITTERE FUERUNT REGISTRATE
AD INSTANTIAM PROBORUM HOMINUM FORENSIUM

1.—*Quod forenses pro eorum negociis comunibus pertractandis, possint congregare in quocumque loco voluerint duos probos homines de singulis parrochiis.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylaco locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Obtulerunt nobis quoddam capitulum nuncii ad nos nunc transmissi per probos homines forenses insule Majoricarum, continens ut dictis forensibus concederetur licentia per vos et successores vestros in dicto officio, quod per eorum syndicos possent congregare duos probos homines de singulis parrochiis in quocumque loco dicte insule vellent pro comunibus negotiis pertractantibus tangentibus eos, quociens opus esset. Ad quod respondentes ordinandum ducimus et vobis mandamus ut quociens dicti scindici dictam congregationem facere voluerint illam primitus vobis significant, et vos ut eam facere valeant eis licentiam concedatis si et prout videritis expedire; nam ex nunc dictam congregationem fieri nolumus nisi de nostro speciali permissu. Data Perpiniani sexto decimo kalendas junii anno Domini M^o CCC^o xx^o octavo.

2.—*Quod ordinatio nuper facta per reformatores regni G. Pauo et O. de Caucahis, de hominibus forensibus non emparandis pro censu agrario vel foriscapio non solutis, servetur ipsis forensibus inconcusse.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Nuncii noviter ad nos missi pro parte proborum hominum forensium insule Majoricarum, petierunt per nos eis concedi quod forenses non emparentur in civitate Majoricarum per aliquem pro censu agrario laudimio vel foriscapio non solutis. Ad quod eis duximus respondendum quod servetur super predictis ordinatio nuper facta per Guillelmum de Pauo militem et Othonem de Caucahis legum doctorem, consiliarios regios atque nostros, tunc per nos ad civitatem et regnum Majoricarum pro reformatione patrie destinatos. Quare mandamus vobis quatenus dictam ordinationem dictis forensibus obseruetis et faciatis servari. Data Perpiniani sexto decimo kalendas junii anno Domini M^o CCC^o xx^o octavo.

3.—*Quod probi homines forenses possint mittere suos nuncios speciales domino Regi quando-cumque voluerint, sine prohibitione alicujus.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris. Notum facimus universis quod venientes ad nos nuncii transmissi per probos homines forenses insule Majoricarum, proposuerunt supplicando prohibitum eis fuisse ab aliquo tempore citra ne pro suis negociis nuncios transmitterent ad dominum Regem jam dictum vel nos tutorem ipsius; quare petierunt super hoc eis debite providere. Nos igitur dictam eorum supplicationem admittentes ad exauditionis effectum, ordinandum ducimus per presentes ut cum dicti probi homines forenses pro suis negociis comunibus mittere voluerit ad dominum Regem prefatum suos nuncios speciales per vos vel per quempiam de officialibus regis vel alium quemquam non prohibeantur vel possint prohiberi eisdem, immo libere valeant suos nuncios destinare ad dominum Regem jam dictum et nos quando et quociens voluerint et sibi viderint expedire, prohibitione quacumque et cujuscumque rejecta. Data Perpiniani sexto decimo kalendas junii anno Domini M^o CCC^o xx^o viij^o.

4.—*Quod servetur forensibus ordinatio regia eisdem concessa de non contribuendo in expensis cujusvis ambaxiate, nisi ipsis vocatis et de eorum consensu facta fuerit.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Missi ad

nos nuncii per probos homines forenses insule Majoricarum, obtulerunt nobis quoddam capitulum sub tenore sequenti: Item petunt supplicando quod ipsi homines forenses non contribuant nec compellantur contribuere in expensis factis per Brg. de Bacho militem in missatgeria quam moviter fecit ad instanciam et dictum juratorum, cum ipsi homines forenses non fuerint vocati nec consentientes ad hoc, eis servando regiam ordinationem cum instrumento factam dictis hominibus forensibus de non solvendo nec contribuendo in aliquibus expensis factis vel faciendis per aliquem ambaxiatorem nisi fuerint vocati et consenserint in eodem. Ad dictorum igitur nunciorum supplicationem, mandamus vobis quatenus ordinationem regiam super predictis factam, juxta illius instrumenti seriem et tenorem, servetis dictis forensibus et faciatis servari super dictis sumptibus et aliis casibus similibus. Data Perpiniensi sexto decimo kalendas junii anno Domini M^o CCC^o xxviiij.

5.—*Quod locumtenens super capitulo impetrato quod quilibet forensis emere valeat centum quarterias annuales frumenti et ducentas ordei causa revendendi ordinet prout sibi magis expedire videatur.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dilectionem. Venientes ad nos nuncii nobis missi per probos homines forenses insula Majoricarum, plura petierunt a nobis super quibus sua dederunt capitula, inter que est capitulum sequens: Item quod quilibet forensis possit emere quolibet anno centum quarterias frumenti et ducenas quarterias ordei causa revendendi, secundum ordinationem regiam. Et intellectis contentis in dicto capitulo volumus et vobis mandamus quatenus vocatis juratis Majoricarum et probis hominibus forensibus ac vicario forensi, faciatis et ordinetis super contentis in dicto capitulo quod magis utilitati reipublice terre Majoricarum videritis expedire, et illud faciatis servari scincere. Data Perpiniensi sexto decimo kalendas junii anno Domini M^o CCC^o xx^o octavo.

6.—*Quod vicarius forensis nullam sit ausus recipere pecuniam probis hominibus forensibus tangentem ex ajudis cisiis et talliis, et de illa modo habita rationem reddat et reliqua restituat.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dilectionem. Tradiderunt nobis, missi ad nos nuncii per probos homines forenses insule Majoricarum, quoddam capitulum continentie subsequentis: Item petunt supplicando quod cum vicarius forensis, contra morem solitum ac regiam ordinationem, nitatur et nisus fuerit recipere a juratis Majoricarum pecuniam ipsis hominibus forensibus

pertinentem et tangentem, ex illa que levatur et habetur ab ajudis talliis et cisiis, et ex illa qua debent fieri missiones comunes, convertendo et dividendo illam ad votum, licet ipsi homines forenses aut delegati per ipsos illam recipere debeant et consueverint juxta regiam ordinationem, mandare dignetur quod deinde ipse vicarius nec aliquis officialis nunc vel deinde ipsam recipiant nec sint ausi recipere, nisi dumtaxat ipsi homines forenses aut delegati per ipsos, prout est actenus fieri consuetum; jubendo et ordinando quod vicario ipse de receptis per eum datis et solutis ex dicta pecunia compositum legitimum reddat et reliqua restituat omni exceptione cessante proceribus forensibus aut delegatis per ipsos. Et intellectis predictis mandamus vobis quatenus dictum vicarium viriliter compellatis ad reddendum rationem de predictis et reliqua restituendum probis hominibus forensibus supradictis, nec ex nunc permitatis ipsum vicarium vel alium officialem quemquam recipere aliquid de pecunia supradicta, sed solum ipsos probos homines forenses, ad quos spectat illam recipere et habere, et ipsi illam convertant et convertere debeant ut tenentur in utilitates et necessitates suas comunes; sed antequam pecuniam ipsam sic convertant et distribuant hoc primitus significant vicario forensi, qui [si] super hoc aliquod eis impedimentum prestaret, significant illud vobis ut vos illud faciatis amoveri, et ut sic cum sciencia et significatione curie facta expendatur pecunia supradicta per dictos probos homines forenses et juxta voluntatem et ordinationem eorum. Data Perpiniensi sexto decimo kalendas augusti anno Domini M^o CCC^o xx octavo.

7.—*Quod sententia lata per Regem Sancium inter forenses et civitatentes, nec non alia privilegia, consuetudines et franquescie forensibus concessa, observentur eisdem prout actenus usi sunt et nisi aliqua justa obvietur.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dilectionem. Nuncii nobis missi per probos homines forenses insule Majoricarum, inter alia capitula que nobis dederunt et petierunt a nobis concedi, dederunt nobis quoddam capitulum sub tenore sequenti: Item quod instrumentum et sententia lata per serenissimum principem dominum Sancium bone memorie Regem Majoricarum quondam inter dictos forenses et civitatenses in omnibus observetur, nec non et alia privilegia libertates et consuetudines et franchises eis concessa et concessa consuete et quas habent per illustres dominos Reges Majoricarum et predecessores eorum, ipsis forensibus in omnibus et per omnia inviolabiliter observentur. Et intellectis contentis in dicto capitulo, mandamus vobis quatenus sententiam regiam de qua supra fit mentio in eodem, nec non franquescia et privilegia consue-

tudines et libertates actenus concessas eisdem, quibus et prout usi sunt usquequaque, serventur dictis forensibus et faciatis servari scincere, nisi alia videritis justa et racionabilia per que non debeant observari. Data Perpiniiani sexto decimo kalendas junii anno Domini M^o CCC^o vicessimo octavo.

8.—*Quod vicarius forensis compellatur ad restituendum illud quod superest de collecta facta pro emenda cujusdam captivi parrochie de Andraig qui traditus fuit morti.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Mostrantur suplicando coram nobis nuncii ad nos missi per probos homines forenses insule Majoricarum, quod Berengarius de Santa Cilia miles, vicarius forensis Majoricarum, levavit seu exigi et levare fecit ab hominibus forensibus habentibus captivos quandam pecunie summam, ascendentem ut fertur ad summam septuaginta librarum regalium Majoricarum, ad rationem sex denariorum pro singulis captivis, in faciendam emendam de quodam captivo parrochie de Andraig, qui traditus fuit morti ex eo quia tractaverat fugam aliorum captivorum quorundam, pro cujus emenda habuit dominus ejus ut dixerunt decem octo libras tantum; et petierunt dictum compelli vicarium ad restituendum scindicis dictorum forensium illud quod penes eum remansit de collecta jam dicta. Nos itaque dictorum nunciorum dicta supplicatione benigne admissa, mandamus vobis quatenus dictum vicarium compellatis precisse ad restituendum illud quod superest de collecta jam dicta illis videlicet a quibus fuit habitum et levatum, nisi aliud sit justum et racionabile quod obsistat, super quo si sit faciatis summarium et expeditum justicie complementum sine lite quacunque. Data Perpiniiani sexto decimo kalendas junii anno Domini M^o CCC^o xx^o viij.

9.—*Quod cum forenses portabunt granum in quarteria, nisi setmanerii mox solvant sibi, possint illud vendere.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Ad nos missi nuncii per probos homines forenses insule Majoricarum, inter cetera nobis obtulerunt sub hiis verbis: Item demanen que setmaners no sien meses ni posats en la quartera de la ciutat de Mallorches en dan ni en prejudici dels homens de fora. Et intellectis quibusdam rationibus facientibus ad contenta in dicto capitulo, volumus ordinamus atque mandamus quod cum forenses granum portabunt et habebunt in quarteria Majoricarum dicti setmanerii illud in quarteria tradi fecerint alicui, nisi mox satisfa-

ciat dicto forensi ipse illud vendere possit et vendat alteri qui satisfaciat sibi inde; nolumus enim quod per officium dictorum setmaneriorum vel alias dicti forensi discurrere habeant per civitatem Majoricarum pro habendo precio dicti grani, quod sic ad dictam quarteriam portaverint ad vendendum. Et hec faciatis firmiter observari. Data Perpiniiani xvj^o kalendas junii anno Domini M^o CCC^o xx octavo.

10.—*Quod locumtenens rescribat utrum sit ordinatum quod curialibus et aliis partitoribus qui pro aliquibus partitionibus faciendis iverint extra civitatem debeat dari certum salarium, et quid super istis sit providendum.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Supplicando petierunt nuncii ad nos missi per probos homines forenses insule Majoricarum ut curialibus et aliis partitoribus qui faciunt vel facere debebunt aliquas particiones in insula supradicta et pro illis faciendis iverint extra civitatem Majoricarum detur certum quid pro eorum comissione et provissione, cum ex abusu ad plus nunc ascendant sumptus comissionis quam si certum salarium illis daretur, et super hoc dixerunt ordinationem regiam editam fore. Nos vero volentes de hiis certificari ad plenum, mandamus vobis ut nobis per vestram litteram rescribatis que est ordinatione regia super predictis facta et si usum est ibi de illa ac intentum vestrum quid per nos fieri expediat super istis, ut sic a nobis certitudine habita faciamus super petitis quod viderimus expedire. Data Perpiniiani sexto decimo kalendas junii anno Domini M^o CCC^o xx octavo.

11.—*Quod regentes escribanias et alii scriptores recipiant de scripturis condecemtem salarium, prout est jam ordinatum.*

Philippus de Majoricis, ecclesie Sancti Martini turonensis thesaurarius, patruus atque tutor domini Regis Majoricarum illustris, nobili et dilecto Arnaldo de Cardaylhaco, locumtenenti Majoricarum, salutem et dileccionem. Venientes ad nos nuncii missi per probos homines forenses insule Majoricarum supplicarunt per nos eis concedi quoddam capitulum quod nobis inter cetera obtulerunt in hec verba: Item quod regentes scribanias domini Regis seu alii scriptores terre Majoricarum recipiant de scripturis et instrumentis que ibi fiunt condecemtem salarium, pro ut jam est ordinatum per dominum Regem. Ad quod respondentes mandamus vobis quatenus ordinationem regiam super hoc editam et servatam faciatis re vera continue servari. Data Perpiniiani sexto decimo kalendas junii anno Domini M^o CCC^o xx octavo.

E. AGUILÓ.